
PETRI RAMI
VEROMANDVI
Brutinæ quæstiones in Oratorem Ciceronis,
Ad
HENRICVM VALESIVM
GALLIARVM DELPHINVM.



Cum priuilegio.

PARISIIS,

Apud Iacobum Bogardum, ſub inſigni D. Chriſtophori, è regione gymnaſii Cameracenſium.

1547.

Extraict des registres de Parlement.

SVR la requeste presentée à la Court, par Iacques Bogard marchãt Libraire & Imprimeur de Paris, par laquelle il requeroit luy estre par ladicte court permis imprimer & exposer en uente un liure intitulé, Petri Rami Veromandui Brutinæ quæstiones in Oratorẽ Ciceronis ad Henricum Valesium Galliæ Delphinum, auec les deffenses accoustumées. La court a permis & permect audict Bogard imprimer & exposer en uẽte ledict liure: Et deffend à tous autres Imprimeurs & Libraires imprimer, ou faire imprimer iceluy liure iusques à trois ans prochains, à compter du iour que ledict liure sera paracheué d'estre imprimé, sur peine d'amende arbitraire, & de confiscation des liures qu'ilz auroient faict imprimer. Faict en Parlement le cinquiesme iour de Feburier, l'an mil cinq cens quarante six.

Collation est faicte.

DuTillet.

PETRI RAMI

VEROMANDVI

Brutinæ quæstiones in Oratorem Ciceronis.

AD

HENRICVM VALESIVM GALLIARVM DELPHINVM.

SPERO Henrice Valesi Galliarum Delphine, amplitudinem tuam me nihil offensurum, si rhetoricas scholas non solùm ad te mittere, sed etiam in tuo nomine diuulgare audeam. Namq; & huius artis & omnium omnino doctrinarum laudandarum cognitionem non modò ingenuis animis dignissimam, sed etiam regum propriam esse statuo. Etenim quid est, tam regum propriũ, quàm quod à summis regibus ad omnium dignitatem regnorum est inuestigatum, & æternis literarum monumentis posteritati relictum? Quæramus igitur à quibus tandem hominibus tam varias, támque multiplices artes vel ad orationis cultũ & ornatũ, vel ad rationis solertiã atq; iudiciũ, vel ad cęterarũ rerũ fructum & vsum inuentas, & descriptas accepimus: reperiemus ꝑfectò horũ bonorũ inuentores & authores potentissimos principes & Imperatores extitisse. Ponamus ante oculos (vt à primis literis incipiam) M. Varronem, Iulium Cæsarem: quorum alter de analogia, alter de lingua Latina tam multa ad Ciceronem perscripsit: At quantis opibus, quanta dignitate in amplissima orbis terrarum Republica viri? Quid Peri-

cles, quid Demoſthenes Athenis, quid Romæ Cato, Antonius, Cicero, Brutus, quæ imperia, quanta Reip. gubernacula tenuerunt? At orandi & leges & exempla ab illis omnia ferè tenemus. In dialecticis deos præceptores Plato ſtatuit. Quid verò in phyſicis Platonem aut Ariſtotelẽ potius commemorem, quàm Alexandrum Macedonem? Is enim nobiliſſima ſcientiæ cupiditate inflammatus, tot hominum milia (quot tanto Aſiæ, Africæ, Europæ imperio venatus, aucupia, piſcatus alebant, quibúſque viuaria, armenta, aluearia, piſcinæ, auiaria curæ erant) conduxit, omnéſque omnium ea de re hominum conſcriptos libros conquirendos curauit: vt & peritos rerum naturalium percunctando, & libros varios perlegendo præclara de tot rebus occultis volumina hominum generi compararet. Interroga medicos de ſuę artis origine: Aeſculapios tibi & Apollines reſpondebunt. Quid mathematicæ artes & diſciplinę, nóne ſibi (vt varię teſtes ſunt hiſtorię) tum primos ab initio mundi patriarchas Adamum, Sethum, Noëum, Abrahamũ: tum Africæ atque Europę clariſſimos reges, parẽtes vendicãt & aſſerunt? Inſtituta verò de vita hominũ & moribus tametſi optimi quique rerum publicarum principes gloriæ ſuæ propria ſemper eſſe duxerunt, tamen regnis & imperiis humanis excellẽ-

tiora

tiora & prętantiora esse, confessi sunt, cùm certis numinibus leges suas attribuerunt, Licurgus Apollini, Solon Palladi, Minos Ioui, Charundas Saturno, aliíque diis ac deabus aliis. Cùm igitur doctrinas non solùm ingenuas, sed regias dico, nihil amplificandi caussa dico, sed earum nobilitatem verè ac simpliciter exprimo. Agè verò cum magnifica ista artium regna mente atq; animo complexus eris, ad amplitudinẽ generis tui oculos cõuerte: Patrem regẽ cõspicies in isto genere laudis regum omnium longè primũ & maximum. E cæteris enim regibus nonnulli poetas amauerunt, alij philosophos coluerunt, alij aliarũ peritos artium in honore habuerunt: At Franciscum Valesium omnium literarum patrem verius quàm mecœnatem possumus appellare: à quo Latinę, Græcę, Hebraicæ linguę interpretes, philosophiæ, medicinæ, mathematicæ scientiæ doctores honestissimis stipendiis affecti & ornati sunt. Quo regnante, imò verò cohortante tot populorum rectores, tot senatores, tot omnium generum homines incredibili literarũ amore sunt incensi: Tum verò cùm à tali patre discesseris, quẽ potius quàm te vnum, te, inquam, vnum in tanto splendore conspicies, qui paternis passibus ad eandem gloriæ æternitatem graderis? Quare sine timore ad te salutandum accedam, & quo fa-

cilius rhetoricæ meditationis & commentationis (quam tibi nunc offerimus) caussam rationémq; percipias, de me ipso & qui sim, & quid didicerim, liberius exponam. Pater verò meus agricola fuit. Quid ergo? inquies, ab eo, quòd ingenio rudis essem, agriculturam doceri non potui: id autē mihi præcepit, vt manè lumen accenderē, ac dormientes seruos excitarem: tum in occando, sarriendo, deruncinando, exherbando agro me exercerem: ab eo præterea artem nullam didici: Itaq; proximis superioribus annis cùm operam meam Aristoteleis locauissem, eius familiæ somniculosos seruos accenso lumine excitare, & in eorum agro dialectico spinas & lapides detrahere, glebas asperiores frangere studui. Verùm tam vehementer in me desidiosi illi propterea commoti sunt, vt facto impetu malè pulsatum, & multatū ex agro suo eiicerent. Hic (miserum me) obstupui. Quid enim facerem, cùm iis laboribus, quibus victum & cultum mihi partum sperarem, periculum creari videbam? Eiectus Aristoteleorum finibus ad rhetoras me contuli: iis item operam meam locaui: apud quos etsi ministros magis alacres & expeditos reperi, lętiores item & vberiores segetes inueni: tamē somnum aliquem in his qui arabant offendi: & admistas herbas optimis frugibus inimicas nōnullas deprehendi. Ergo & hic

hic apposito lumine clamores moueo: oratoriũ Ciceronis agrum (ad quem applicatus eram) noxiis herbis & tribulis expurgo, & quicquid me pater docuit, id sedulò facio: qua sedulitate nostra, si quis nõ agricola (his enim hominibus gratus charúsq; sum) sed spinicola sine caussa offensus clamitet: Hic fur est, qui Aristoteleorũ agros perdidit, permitte Princeps optime, vt illi modestè respõdeam. Tace bone vir, & officium tuum face, ego meum facio: neque sine domini mandato facio: Cicero enim huius agri dominus mihi præcepit, vt omnium artium scriptores ac doctores non solùm legerem ac peruolutarem, sed exercitationis caussa corrigerẽ ac vituperarem: quo ipso meditationis genere non solùm cõtra alios, sed contra seipsum solitus est dicere, & scribere: neq; sine magno exemplo facio: Brutum enim Callidium, Caluum, Cornificium, cęteró sq; oratores eos qui se Romæ Atticos nominabant, quíque Ciceronem viuum (ait Quintilianus) incessere audebant, non solùm vt Asianum ac redundantem, & in repetitionibus nimium, sed etiã vt in salibus aliquando frigidum, aliàs verò mollem atque effœminatum, sed tamen vnum pro omnibus Brutũ authorẽ habeo: qui id ipsum quod facio, ante me fecit: & Ciceronis oratorẽ, in quo nunc versamur, ad se missum reprehendit ac vi-

 tuperauit.

tuperauit.Rusticanæ igitur exercitationis nostræ gratia vituperationis illius Brutinæ caussas excutere,vel potius Brutum ipsum (ne quid meũ interesse videatur)considerantem inducere liceat, quid in oratore Ciceroni maximè probato reprehendi potuerit: Non vt à lectione tanti operis quenquam deterream,sed potius vt omnes inuitem: Quemadmodum enim (vt à patris agricultura non discedam)expurgatus ager grandiores & vberiores fruges edit: ita Ciceronis orator cùm spinæ quas habet, & herbæ distinctæ fuerint, certiores multò & optabiliores fructus afferet.Hi verò fructus erunt,eximia orationis elegantia:quam ob rem non legendus solùm,sed totus ad verbum liber sit ediscendus: magna rerũ varietas,& iucunda perceptio:magnæ prudentiæ consilia monitáque plærisque locis commõstrata.Pauculæ autem sunt spinæ,hæque ferè non in comprehensione, sed æstimatione & compositione rerum,quæ quia non satis exacto vel iudicio,vel ordine dici videantur, idcirco Bruto, id est,iudici omnia ad exactam limatæ rationis & absolutæ artis normam perpendẽti minimè probentur. Nam tametsi permulta quæ in hoc opere traduntur,vera atque vtilia sunt,plurimum tamen interesse quis existimet, quomodo tradantur. Si quis enim v.. am quandam ex grammaticis,

cis, rhetoricis, dialecticis, cæteríſque artibus artem confundere, eámque pueris ediſcendam ita proponere velit, ferendus fortaſſe non videatur: melius enim & commodius diſciplinæ ſuis diſtinctæ locis & præceptis iuuentuti explicantur. Atqui iſtam artium confuſionem ad oratorem informandum Cicero hic adhibuit: Nam præter ea quæ rhetoricæ artis propria ſunt, omnem de latinitate grammaticam, quæ tum erat, totam ferè dialecticam de inuentione & diſpoſitione, reliquam philoſophiam, leges, hiſtorias ad Romanarum litium & actionum formulas applicauit. Atque ita adoleſcenti homini (qui auditis omnium artium doctoribus è ſchola in forum venerit) oſtendit quid ad ciuiles cauſſas è pueritiæ ſtudiis transferri poſſet: non artem vnam à cæteris diſtinctã definiuit: vt eiuſmodi oratorij libri antè aut non legendi, aut non percipi poſſe videantur, qnàm omnes artes ſuis ſeparatim ſtudiis lectæ fuerint, ac perceptæ. Neque tantum ex tam multis artibus vnam hanc ciuilem artem vnius ſingularis artis nomine coagmentauit, ſed in ea tota tractatione mirandum in modum & alienis rhetorum quorundam opinionibus, & fœcũdiſſimis ingenij ſui dotibus indulſit. Quapropter in oratore Ciceronis de propriis rheto[illegible] diſciplinæ præceptis, déque totiu

ne,conſtantia, veritate quærentem Brutum feci, & Brutum quidem offenſum: quòd eum Cicero vt exanguem & aridum oratorem carperet, & vnà cum cæteris oratoribus Atticis frequenter irritaret, vt ſi quid in his Brutinis quæſtionibus rudius & agreſtius erit, agricolæ quidem filium: ſin verò aſperius & ſeuerius, irritatum Brutum ita loqui decuiſſe exiſtimes. Sed longius progredior, dum moroſis alienæ induſtriæ Cenſoribus per te ſatisfacere cupio. Itaque Brutum ipſum cum Cicerone loquentem iam nũc audiamus.

PETRI RAMI
BRVTINAE QVAESTIONES
IN ORATOREM CICERONIS.

ANimaduerti M. Tulli te vehementer esse cõmotum, quod oratorem, quem tantopere probares, improbare potuerim: queri enim, & expostulare tãquam de graui & acerba iniuria soles, quod cum in eum librũ quicquid de dicendo iudicii habueris, totum cõtuleris: audeã non solũ ad Atticũ, sed ad teipsum etiã scribere: quod in eo tibi placeret, id mihi displicere: Itaq; cognoscendo & perlegẽdo oratore tuo, quæ mihi probata nõ fuerint, statui ad te perscribere: non solum vt intelligas, qua ratione meũ iudicium à tuo dißidere in oratoris informatione potuerit, sed etiam vt percipias vnius tui operis exemplo cur nobis asianus, non atticus orator videare: curque plæriq; Romani oratores (qui attice cupiunt dicere) superfluentem redundantiam, repetitionem nimiam, iuuenilem quandã iactantiã in te reprehẽdant, Faciam igitur quo facilius totã dissensionẽ meã & clarius exponam, quod te in dicendo facere solitum commemini: rem summam initio proponam, deinde in certas partes distribuam, tum ad singulas explicationis tuæ partes contraria reprehensionis argumenta singulatim referam. Quamobrem adesto iam animo, ac memoriæ mandato, quæ contra te de tanta oratoris informatione di-

cam. Dico descriptionem istam oratoriam perpetua confusione conturbatam, multis locis inanem, plærisque falsam mihi videri: duasque partes vniuersæ confusionis tuæ ad refellendum mihi statuo, alteram ab initio vsque ad elocutionis explicationem, alteram deinceps ad extremum: Quibus duabus partibus & oratorem, & oratoris omnem laudem infinitis erroribus & commentis perdidisti. Atque vt à prima parte ordiar, illud primo loco requiram, cùm oratorem perfectum definiendum iudicares, qui in foro caussisque ciuilibus ita diceret, vt probaret, vt delectaret, vt flecteret: quamobrem in hac definitione falsa præsertim, & absurda tam longum, tam prolixum, tam inanem Asianæ & redundantis copiæ sermonem consumendum putasti? Siue enim orationem, quæ oratoris inuestigationem præcessit, siue quæ de latinis & græcis oratoribus deque sophistis dicuntur, siue quæ de partibus eloquentiæ vsque ad oratoris definitionem disputantur, siue quæ deinceps ad inuentæ definitionis exornationem adferuntur, expendere mecum, & subductis rationibus æstimare volueris: intelliges profectò non vt ex parte aliqua sis assecutus quod pollicebare, sed vt omnino nihil secutus esse videare. Etenim M. Tulli cum nos ingentis cuiusdam muneris expectatione ad oratorem cognoscendum excitasses, cogita quam ad prolusionẽ tribus molestis egreßionibus abutare. Quæstionem ponis quis orator probandus sit maxime, repente quæstionis

huius immemor de propoſita via diſcedis, & ab ea longiſsime aberras: nos & ad bene ſperandum incitas, & quaſi ſigno quodam ſublato cohortaris exemplis poëtarum, philoſophorum, pictorum, ſtatuariorum, oratorũ: quorum non modo primis, ſed etiam ſecundis, atq; etiã infra ſecundos locus ſit: ita ſi nõ quẽ volumus, at certè quem poſſumus, curſum cũ aliqua laude teneamus. Ve*rùm quid iſta cohortatione tam bella, tam magnifica, tã ad eloquentiæ tuæ iactationem apta nobis opus fuit? auditorem habes quoniam diſciplinæ leges inſtituis, nõ forenſes cauſſas agis, ſua ſponte vel potius vtilitate ad audiendum paratum, præſertim cum diſputationis tuæ initio id abundè perfectum ſit.* Hæc *prima digreſsio eſt vnde nos ad dialecticos inuitas, & ab hac egreſsione prima in ſecundam vocas.* Doces ex Platonis decreto *definiendam rem eſſe ex genere vniuerſo, vt firma ſit et immutabilis definitio: bellè ſanè, ac verè: at quàm indecenter, quàm ineptè, quæſo videamus: quid ſi in explicanda grammatica dialecticorum decreta iſta conturbarem, an non ridiculè & imprudenter facere iudicarer? certe: eſt enim grammatica ſimplex, & prima doctrina, & primò loco pueris ex ſuis tantum inſtitutis explicanda: ſecundò rhetorica, tertiò dialectica, ac deinceps reliquæ artes ſuo quælibet ordine perdiſcẽdæ ſũt.* Hunc *docendi qui non tenet ordinem, artes non inſtituit, ſed confundit:* In *arte verò rhetorica, quo iure iſta permiſcere potius licebit? nec enim iam expecto vt*

 inuentionem

inuentionē dispositionemq́ue rhetoricæ partes esse defendas, quas & in hoc sermone & in aliis tuis libris dialecticæ partes esse fateare. Sed quoniā hæc egreßio obscura videbatur, tertia nos egreßione vt secundā excuses, fatigas. Est vtilis, ais, oratori philosophiæ cognitio, quid tum? non est igitur alienum in explicando oratore de philosophiæ legibus & institutis præcipere: Enimuero nō est istud, non est (inquam) mihi crede, vel ipsius dialecticæ, de qua loquimur, iudicio cōsentaneum. Animaduerte enim mecum, & attentè considera, quid tuis istis vestigiis possumus efficere, est vtilis grammatica oratori, dialectico, arithmetico, geometræ, imò verò omnes artes omnibus sunt vtiles ac necessariæ: alienum igitur non est in arithmetica de loquendi regulis, aut in grammatica de numeris præcepta dare: quis obsecro, tam absurdam conclusionem feret? Atqui dialecticæ proprium est leges definiendi dare, cur igitur in quæstione de perfecto dicendi genere dialectica præcepta confunduntur? cur non suis locis potius discūtur? artium enim omniū quamuis vsus cōmuni quodā quasi vinculo nexus coniunctusq́ue sit, institutiones tamen distinctæ esse debent. Attamen cuiusmodi hæc oratio est? philosophia est oratori necessaria: an non ista multo verior? eloquentia est philosopho necessaria? non enim cōsequentibus antecedētia, sed antecedentibus indigēt consequentia studia: non est grammaticæ rhetorica necessaria, sed grammatica rhetoricæ, nec rhetoricæ dialectica

lectica, sed rethorica dialecticæ, ac deinceps reliquæ artes quanto communiores sunt, tanto minus egent reliquarum. Quare nihil tua te ista præclara ratio adiuuat, quæ & falsa est, & si vera eßet, nõ id tamen efficeret. At oratorem nõ illum vulgarem, sed perfectißimum & doctißimum hominem, & omnium participem artium facimus. Intelligo (inquam) & cõfusionem istã reprehendo: quæ vnius artis nomine omnes alias pene artes conturbet. Plato cũ perfectum reip. moderatorem describeret, nõ dubitauit omnibus eũ disciplinis instruere, vt magnificum quendam, & præclarum ducẽ faceret: attamen lõge aliud esse existimauit artem tradere, aliud artibus variis præstãtem in rep. virum ornare: sic tu cum velis politicum nobis quendam virum pingere, qui caussas ciuium suorum oratione tueri: qui consilia reip. vtilia interpretari, qui denique poßit in omni genere ciuilis orationis decore versari: hunc tu non populi magistrum, non reip. gubernatorem ampla & nobili appellatione (sicuti decebat) appellas, sed puerilis exercitationis, & doctrinæ nomine oratorem vocas: & cùm in huius nominis confusione dialecticam inuẽtionẽ dispositionemq;, tum philosophiã reliquã, & leges, & historias misceas, videri tamẽ vis artẽ vnã è liberalibus, & ingenuis aliquã, nõ ciuilis cuiusdã facultatis prudẽtiam tradere. Itaque si puer à grammaticis institutus ad rhetoricas tuas artes se conferat, tanquã proximas his, vnde venerit: admirabitur in his libris ita de

 philoso-

philosophia dici, quod ea formet oratorẽ, quod ex academiæ ſpatiis, non è rhetorũ officinis talis orator extiteris, quod Pericles, quod Demoſthenes à philoſophis tales oratores ſint effecti: tũ rhetoricis ſtudiis omiſsis (quæ videt ſine philoſophia percipi nõ poſſe) tibicinis latini modo ad philoſophiã trãſibit, vt rhetorica quæ abs te ſæpe famula & adminiſtra ſapientiæ dicitur, nũc videatur eius domina conſtitui. Hac ambitione cõmotos in omnibus ferè artium ſtudiis homines quoſdam vanitatis cupidiores, quàm veritatis videmus. Scribit hic de arte poëtica? vt perfectum quem ſomniat poëtam effingat? omnes ei doctrinas attribuit: alius medicum perfectum cogitat? nullam diſciplinam medico non ſubiectã affirmabit: alius grammaticum abſolutum deſcribit? omnia hominum inuenta grammatici cognitione comprehenſa eſſe contendet: denique ſi coquus aliquis de arte ſua loquatur, vt ſe beatum & glorioſum efficiat, nihil erit quod iſto iure ſibi arrogare non poſsit. De obſcuritate verò quæ eſt in oratione (vt mox de Thucydideais vitium vel maximum) quid reſpondes? noua hæc nempe videri plæriſque cum peruetera tamen ſint ſed incognita & inaudita: Quid ergo? quid efficit aut quo progredi poteſt iſta defenſio? obſcura diſputatio de ideis Platonicis, & noua videtur, ſed imperitis: qualis tandem doctis & peritis? non facilis, non perſpicua? dij boni, quam ſponte noſtra fallimur? conſultóque alios fallimus? rudes ſcilicet exiſtimas & ignaros, qui Platonis

tonis ideas ignorent à Platone ipso vel nō intellectas, vel certè tam obscurè traditas, vt qui ipsum audierint, nihil certi de his tenuerint: sed alij alio distracti partim omnino deriserint, partim dissimillima ratione sint interpretati: Nam *& eas* Aristoteles *modis omnibus labefactare conatus est, & ex his qui* Platonem *magis amauerunt, alij quædam rerum singularum quæ à deo procreātur, æterna exēpla ideas appellant, alii qui minus abstrusi & ad intelligentiam hominum magis accommodati esse voluerunt, generales rerum & perfectas notiones hoc nomine definierunt.* Itaque *intelligis nō solum indoctis, sed eruditis quoq; hāc idearū doctrinam perobscuram videri: quare cùm in omni oratione graue peccatum sit rem propositā nō constanter persequi, sed res alias agere: quanto grauior erit culpa sententias præsertim alienas vix ac ne vix quidem suis auctoribus cognitas admiscere? de oratore nihil adhuc audiuimus: lusimus tantum, tres egressiones habuimus: quàm leues, quàm vix ioculatorias, quàm etiam molestas & odiosas, quoniā vides, nihil acerbius accusabo. in scholam oratoris abs te inuitamur: interim viridariū occurrit, eo voluptate pellecti trahimur: horti propinqui nos oblectarūt, & illuc percurrimus: sunt circa rigui fontes, amœnitate illi quoque sua nos pellexerunt.* Veruntamen *heus tu, in viam redeamus: vel potius viā ineamus, quoniam nondum ingressi sumus, & digrediamur ab his gloriosis digressionibus, quod secundum*

in prima reprehensione positum est, ad oratoris inquisitionem ex Latinis & Græcis *oratoribus & sophistis aliquando veniamus*. Inuestigemus *hũc igitur, ais*, Brute, *quem nunquã vidit* Antonius, *huc reuocatur exordium quod initio fuerat, idem difficultatis argumẽtum iteratur*. Attamen *pergamus: tria dicendi genera, subtile, graue, temperatum proponis, quibus orator perfectus agnosci posit: primùm ista generum partitio elocutionis rhetoricæ nihil est, nisi quod subiecti proprium est, adiunctis rebus attribuas: nec enim grauitas, subtilitas, mediocritas orationis ex elocutionis ornamentis oritur, sed rebus ipsis quæ elocutione tractãtur*: In comœdia *sint omnes tropi, omnésque & sententiarum & verborum figuræ, sicuti sunt, & in omni materia adhiberi possunt, summissa tamen hæc appellatur oratio, sint hæc eadem in tragœdia, sublimis: sint in re moderata, mediocris*: Ergo *rerum varietas non elocutionis, hãc distinctionem partitionémq; facit*. Finge *comicã prosopopœïam, humilis erit: fac eandem tragicam, ardebit: eadem tamẽ figura est, sed illius materiæ velut humiliori sono languidius, huius grauiore fortius inflatur*. Sed *tamen tria dicendi genera subtile, moderatum, graue, tanquã signa nobis ostendis, quibus orator agnoscatur*: Nam *si quis erit qui tribus dicendi generibus peræquè excellat, is noster erit orator*. Age *porrò qualísnam hæc oratoris est inuestigatio? definitur initio inuestigationis quod inuestigandum proponitur, vt inuentus iã sit*

orator

orator ille priusquam inuestigetur: quid enim tribus illis signis propositis nonnè perfectæ eloquentiæ idea (quam volumus) fingitur & informatur? nisi fortè tandem post indagationem longissimam non idem nos reperisse gloriemur. Recognosce igitur quæ oratio tua fuerit, & aude affirmare non esse prorsus eadem pronunciantis, quæ nobis initio signa hæc tria significauerant: complectar breui, (ais) differam pluribus, is est eloquēs qui & humilia subtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperate potest dicere: At nunc doces tria esse dicendi genera, subtile, graue, moderatum, quibus in omnibus qui peræquè præstiterit, eum esse oratorē quē volumus: definitum igitur oratorē tenemus, quem quærimus. Tenemus inquies, animo, reipsa non tenemus. Bene res habet, perfectæ eloquentiæ speciem mente & intelligentia complexi sumus, effigiem auribus quærimus: cur igitur tandē exclamas, quasi noui aliquid post longissimā disquisitionem inueneris? Tenemus igitur Brute quem quærimus, sed animo, nam manu si comprehendissem, ne ipse quidē sua tanta eloquentia mihi persuasisset, vt se dimitterem, sed inuentus est profecto eloquens, quē nunquā vidit Antonius. Hæc est gestientis, & exultantis exclamatio, teque ipsum grauiter et acerbè accusantis: Inuestigare paras oratorem magnis & molestis itineribus, at iam inuentus est: An nō fabulam aliquam populo dare volumus rustici cuiusdā asellum, in quo insideat, inquirētis, tandēq; post multos errores,

cùm fortè ex longa solicitudine seipsum collegerit, & auriculas aselli aspexerit, sibi de reperto asello gratulantis? tua enim ista persimilis est indagatio. Sed obliuiosi sumus, oratorem quem inuentum amisimus, requiramus: aut exemplum & effigiem oratoris inuestigemus, si ipsum ratione & cogitatione informatum tenemus: Nemo in Italia, ac ne in ipsa quidē Græcia talis fuit: quid ità? an vllà in arte quisquā excellentior fuit quàm in dicendo Demosthenes aut Cicero? attamen Aristarchum grammaticum, Platonem philosophū, Euclydem mathematicum dicimus: ita quid obstabit, quin aliquod exemplum ad illam oratoris definitionem accommodemus? quod postea ipse facere nō es veritus, cū eundē qui iam hic est inuentus, rursus inuentum oratorem in tribus dicendi generibus excellentem, orationū tuarū & Demosthenis exemplis exornas. Poëticus est iste furor Mar. Cicero, quo te potius in hanc cogitationē impulsum, quàm firma ratione adductū sentio: ad mirabilis videri voluisti, noua quædā & inusitata fuerunt promenda, trita & vsitata contēnenda. Itaq; tanquā prodigii cuiusdā instar negasti oratorē pfectū reperiri in Græcis aut Latinis oratoribus: quasi verò facilius sit pfectū grāmaticū, pfectū dialecticū, pfectū medicū, pfectū deniq; in vlla alia arte virū inuenire, quàm in rhetorica: aut omnino id fieri posit, cū eiusmodi perfectio ex tribus cōstet rebus, natura, arte, vsu: quarū nulla vnquā fuit, vel erit in homine perfecta. Poëtica inquā

quã sunt ista miracula plena quidẽ puerilis admirationis, prudentiæ verò ac veritatis inania: quibus tamẽ cõtentus nõ es, in Romanos oratores atq; in meipsum imprimis digrederis: & quoniam nos attici esse & videri volumus, & inanem quandam verborum profluentiã despicimus, imperiti tibi videmur: atticos oratores laudas, in quo tibi libenter assentior: eorum genera (quos accusas) tria facis Lysiacos in acuto, Thucydidios in graui, Xenophõteos in mediocri genere describis: qua partitione videor abs te esse liberatus, et reprehensione criminis huius exceptus: neq; enim in eorũ genus vllũ me (opinor) includis: itaq; qui primo illo de atticis sermone cõmotus te ex iure manu consertum vocare, iustoq; tecũ sacramẽto cõtẽdere parabã: nũc me ad tuã sẽtentiã adiungo aggregoq;: Vereor tamẽ id vnũ, vt tibi possim cõcedere, quòd Thucydidis orationẽ sic attenues, vt nihil ab ea possit ad oratorẽ trãsferri: Nã tuipse reminiscere quæ apud te de illo viro loquatur Antonius, Thucydides (ait) oẽs dicendi artificio facilè vincit: qui ita creber est rerũ frequentia, vt verborũ ppè numerũ sententiarũ numero cõsequatur: Ita porrò verbis aptus et pressus est, vt nescias vtrũ res oratione, an verba sententiis illustrentur. Et tu ipse in hoc præsenti sermone incitatior (ais) fertur, & de bellicis rebus canit etiam quodãmodo classicũ: quid verò quod Demosthenes à te maximis & quidẽ verissimis laudibus affectus Thucydidẽ & legerit, & edidicerit? quam caussã existimabis

fuisse, an quod oratorem vis illa, militaris, et bellica nil adiuuaret? nimio studio cõtradicendi laberis, et dũ causam tuã hoc modo superiorẽ facere conaris, inferiorẽ facis: sophistarũ esse dicis frequẽter à re digredi, vt iis velut in amœna quædã loca diuerticu lis audiẽtes oblectent, at te quonãmodo mollities ista tã delicata decuerit? an est ista philosophorum (quos imitari te gloriaris) consuetudo? hæc docendi via atque ratio? philosophum te verbo profiteris, rhetorẽ & sophistam re ipsa præstas, neq; enim illa sunt curricula variorũ, et multiplicium sermonũ, in quibus Platonis, Aristotelis, Theophrasti *sunt impressa vestigia: tametsi mihi videris aliquid tãti erroris agnoscere, referamus nos igitur (ais) ad eũ quẽ volumus, inchoandũ: bellè me hercule res habet, magno labore leuatus sum: metuebã enim vt rudibus & imperitis te toties à proposito digressum probarem, tuæ nos errationis admones, in viam reuocas, et culpam nondũ accusatus sponte confiteris.* At deũ *immortalem quid tibi vis? exhortaris nos ad rectius deinceps iter ingrediendum, & quod agitur aliquando considerandum, verùm quinto loco viam deseris, & certo cursu dimisso indomiti instar & effrenis equi (quocunq; rapit impetus) excurris, ad eosdem veluti carceres exordii relaberis, & quoniam in hac ludicra (credo) & ioculatoria lusione tibi commodum est, idem argumentum tertio loco repetis.* Etenim *magnus iste tuus in nos amor, & ingens difficultatis magnitudo*

nonné

nonnè primo exordio nos satis incitauerant? hic cur ite rantur? cur amplificantur? quid ista testificatio volunta tis ad institutam rationem pertinet? doceri de oratore quid optimum iudicares, volebam: blanditias istas laudationum non requirebam: maxima voluntate (quoniã te precibus impuleram) ad iudicium tuum percipiendum commotus eram: quæstionis grauitate (quam tantam facis) toties frustra excitandus nihil eram : Pergis *oratorem inuẽtum (vt antea dixi) tamen indagare, & eius effigiem (quam in* Latinis, *in* Græcis *etiam ora toribus nullam videras) in sophistarum & rhetorum scholis inquirere, quorum oratio quia discrepat ab ora toris oratione, illa enim dulcis, effluens, concinna, suauis, apertè omnibus pigmentis rhetoricis colorata & distincta, hæc fortis, contorta, probabilis occultè & ve lut ex insidiis non tam ornata, quam armata insignibus elocutionis, illa ex ludo et palæstra in pompam, hæc in aciẽ, pugnã, dimicationẽq; venit, iccirco cõcludis ora torem apud hos magistros & artifices orationis non esse: Quod non satis acutè distinguis: quasi perfectus orator istam quoque sophisticam dictionem non adhibeat aliquando, cùm opus sit, & in summa eloquentia non etiam laus ista dicendi sita sit:* Etenim *si quid scien ter & artificiose numeris explicatur, ea laus quantacunque sit, arithmeticæ est: sic orationis ornatus pressus, an effusus: amplus, copiosus, an rotundus & limatus ad possessionis ius nihil interest, rhetoricæ proprius*

 putandus

putandus eſt: ſuſceperis panathenaïcum aliquod dicendi argumentum, aut imperatorem laudandum, vbi populus orationis tuæ ſuauitate oblectari volet, tu qui auditorem facis eloquentiæ moderatorem, quomodo dices? num Iſocratis more? ſic opinor: nam tu ipſe poſtea moderatũ dicẽdi genus (quod oratori perfecto ſubiicis) è ſophiſtarum fontibus defluxiſſe cõfirmas, in eoq́; ais omnia dicendi ornamenta concedi ac permitti. At illo genere orationis in foro non vtitur orator: quid tum? at alicubi certè vti poteſt: mallem igitur ita diceres, rhetorumĺ orationem, ſicut omnem elocutionem oratoris quidem eſſe propriã, ſed in ea non eſſe omnia. Sed quid tam longa oratio ad hanc differentiam conſtituendam exprimenda fuit? vt & epidictici generis inuẽtores, au tores, perfectores cognoſceremus? & quæ aliena etiam hîc erant, de Thucydidis, Herodoti, Iſocratis laudibus audiremus? ac etiam, ſi diis placet, nos refelleres, quòd Plato laudaret Iſocratem, quẽ nos improbaremus. Ego verò mi Cicero non multò plus de fama Iſocratis detraho, quàm ipſe tu in hoc ipſo loco detraxiſti. Principem ſophiſtarum facis, qui palæſtræ homines dicati, & pompæ ad puerilem quandam, & inanem oſtentationem inſtituti, & formati omnes delicias, vel potius ineptias conſectentur. Quid ergo miraris: mollitiem vix ſatis nõ dico honeſto viro, ſed modeſta muliere dignam aſperner ac contemnam? Hæc, inquam, tam prolixa oratio, quid ad inueſtigationem oratoris attinet? niſi fortè

ſimili

simili ratione duceris atq; antea: Est vtilis philosophia oratori, non igitur est alienũ de philosophorũ decretis in eloquentiæ explicatione dicere: ita nunc sophistici generis nutrimentis eloquentia alitur et educatur, non igitur est alienum in hac oratoria quæstione de primis illis incunabulis paulò copiosius et vberius quærere: Nẽpe ista subtili & acuta conclusione misceas, & confundas omnia, alienum nihil erit, quandoquidem nihil est à rei (de qua quæritur) natura tam diuersum, quod ei lumẽti nihil afferre poßit. O te nõ Rhodij molonis Marce Cicero, sed Hieroclis Asiani discipulum, neq; enim tã inanem loquacitatẽ aliunde sumpsisti: definis oratorem, & tamen definitionem eius inquiris: nos in iucundiorem locum vnum, item atq; alterum è molesta via fessos, videlicet adducis: res alienas & commentitias interponis: hoc sophistarum proprium esse confiteris. Sed hæc de secunda primæ reprehensionis parte satis. Ad tertiã transeamus. Tria oratori videnda esse dicis, quid, quo loco, quomodo: vestigia tua sicut adhuc feci, persequar: & vbicũq; notas cõfusionis iniustas inueniã, inibi quoq; veræ & cõstãtis admonitionis cõtrariã lucem imprimã. Magnũ opus et oĩno arduum Marce Tulli conamur, sed nihil difficile amanti puto. Amo autem cùm omnibus in rebus, tũ in publicis præsertim veritatem, incendorq; magis ac magis non solum desyderio (quoquidem conficior) artium ingenuarum lucem & perspicuam explicationem requirens: sed etiam admirabili fructu doctrinarumque

ctrinarumque præceptis dispares vsu coniunguntur. Nos igitur ad eloquentiæ partes (quæ dicuntur) adducis, in elocutione sola cæteris partibus repudiatis oratoris propriam laudem positam esse dicis: Sed has tamen partes nouo quodam, & inusitato modo partiris, vt incredibili obliuione partem eam omiseris, quæ nisi esset, nihil meminisse possimus. Memoriæ *enim nullum locum relinquis, magno quidem errore in partiendo, vt partes quæ sunt, nõ omnem rei diuisæ vim complectantur.* Dicis *oratori tria esse videnda, quid dicat, quo quidque loco, & quomodo: primo membro inuentionem, secundo collocationem, tertio elocutionem & actionem comprehendis: memoria igitur vbi est?* Communis *est (ais) multarum artium, propterea omittitur.* Enimuero, *inquam, inuentionem & dispositionem communes cum multis esse (ais) cur igitur hæc recensentur, illa contemnitur?* Sed *maiora sunt in hac partitione vulnera, quibus æqua ratio mederi nullo modo posit.* Tria *vidẽda esse oratori dicis, quid, quo loco, quo modo dicat: at vnũ duntaxat videndũ esse oratori non modo contendo, sed necessariis rebus addico: inuentio & dispositio (quæ rerum* & *copiam, & ordinem suppeditant) dialecticæ partes propriæ sunt, quod hic non diffiteris, cum ais magis proprias esse prudentiæ, quam eloquentiæ, & aliàs idem apertius sæpe confirmasti, cùm doces omnem diligentem rationem differendi duabus partibus constare, vna inueniendi, altera iudicandi:*

dicandi: iudicium autem dispositione fit, vt intelligitur ex syllogismo, in quo ex argumenti cum partibus quæstionis collocatione quæstio iudicatur: & hoc loco, cum probas inuentionem & dispositionem communes esse cum multis (sic loqueris) Inuenire & iudicare propria magis prudentiæ quàm eloquentiæ, vbi iudicandi verbum ad dispositionem retulisti. Quid igitur? quousque tandem confusionem artium tantam perferemus? an nunquam intelligemus, vt in repub. optimis legibus moribusq; constituta fundos & possessiones singulorũ ciuium certis finibus terminari, & circumscribi, sic in artibus propriè vereq; traditis materias distinctas, partitas, definitas esse oportere? Docet grammatica dictionum proprietates, coniunctiones, rationes in proferendo, & scribendo: ne igitur hæc alia sibi doctrina vendicet. Explicat rhetorica tropos, figuras, numeros orationis: adde vocis & gestus varietatem ac dignitatem: iniuria fit, si dialectica sibi harum explicationem rerũ attribuat: Dialecticæ ꝓpria vis est & inuẽtionis fontes aperire, et collocationis ordinem describere: qua igitur ratione rhetorica idipsũ profiteri ac suscipere audeat? At sine his rebus rhetorica imperfecta sit: quid tum verò? An idcirco perturbatio hæc & confusio doctrinæ confingenda est? Non potest vt ad eosdem impetus sæpius iteratos, idem murus nobis opponatur, sine numeris geometria, musica, astrologia cõsistere: an propterea hæ artes numeros explicare & suæ professioni subiicere

re debebunt? vsus artium vt antea iam dixi, copulatus est persæpe, præcepta tamen confundenda non sunt, sed propriis & separatis studiis declaranda. Attamen quod dicitur rhetoricam sine inuentione & dispositione non posse constare, id planè absurdum et falsum est: potest enim puer cum à grammaticis discesserit: tropos, figuras, numeros in poëtis & oratoribus intelligere, et materia proposita tractare, & per se exercere, & cum dignitate pronunciare, quod solum rhetoricæ proprium est. Quanto itaq; (deum immortalem) clarius & melius à veteribus illis magistris rhetorica docebatur: à quibus (vt paulò antè dicebas) sola dicendi ornamenta tradebantur. De perspicuitate doctrinæ disputo, vt suis sint possessionibus artes distinctæ, non alienis confusæ: non recuso, immo verò maximè probo ac laudo, vt sit idem grammaticæ, rhetoricæ, dialecticæ, cæterarumq; disciplinarum si fieri poßit, doctor ac magister, qui dißimiliũ ac variorũ dogmatũ vsus ad mentẽ & linguã conformandũ sociatos & cõiunctos ostendat: sed tamen qui suo tempore, qui suo ordine, qui sua velut ætate, & maturitate singula partita ac definita doceat, ac de tota vi oratoris, ac facultate paulò pòst exactius & vberius diceretur. Nunc quod cœpimus agamus, dicis inuentionem & dispositionem non tam insignes esse ad laudẽ, quam necessarias: quod his videlicet præstet elocutio, & tamen continuò post adfirmas tanquàm animi instar esse in corpore, vt intelligamus antecedẽtia consequen-

consequentibus esse cōfutata, nēpe quātò sit animus corpore præstantior, tāto inuentionē & dispositionē elocutione esse nobiliorē & excellētiorē. Sed tamen quid hic prudentiā vocas, cuius inuētio & dispositio ꝓpriæ sint? an callidā quandā & naturalē solertiā, quæ nihil admodū habeat & artis & laboris? Sic enim paulò pòst affirmas: quid ergo dialectica, quæ inueniendi & disponendi partes proprias habet? an nulla ars erit? At eā nō modo artem, sed etiam artiū omniū artificē tu ipse, tu inquam ipse, nequid alios testes proferā, quoties testatus es? an sine vllo labore, sine exercitatione vlla teneri percipiq; poterit? O dies frustra nobis cōsumptos in audiendis dialecticis, si modo vera sūt quæ prædicas: sed vide nedum isto modo elocutionem amplificare vis, & in summo loco hisce gradibus collocare, in infimum præcipites atq; abiicias. Recordare te paulò pòst longe secus de dialectica & rhetorica loquutum, cum illam contractam & adstrictam eloquentiam, hanc dialecticam dilatatam facias. At mirifica quædam subtilitas ingenii tui est in hunc vnum effusa locum. Tribuis oratori inuentionem et dispositionē, cū ais vidēdū oratori quid dicat, & quo loco dicat: tum detrahis, cum negas eius esse proprias: ac rursus subiicis, cum iubes ei notos esse argumentorum locos: acuta sanè & sibi constās oratio. Quæstionū, quas oratori tractādas putas, genera tria facis, an est, quid est, quale est, quæ quia sine argumētis explicari nō poßint, inuentionē orationi

necessariam esse concludis. Vtilitas ista sæpius nos iã decepit, sic anteà secunda excusabatur egreßio, quod vtilis esset philosophia oratori, eadẽ excusatione de sophistis est verbosißime disputatum, hanc vtilitatis auarum & rapacem magis quàm veracem rationem missã faciamus, nihil ei in posterum confidamus. Sed cur tria quæstionum genera constituuntur? nam diuisio, & imperfecta, & inutilis est: cum quæro vbi est? quando veniet? quo pergit? quot partes habet? ex quo constat? quamobrem id est? Nihil horum trium requiro: Scio nos pueros in scholis falli solitos nescio quibus captionibus quod ad hæc tria genera reliqua reuocentur. Simpliciter & apertè doctrinas doceri volo, sophismatis discipulos falli nolo, nec ea quæ reuera absint adumbrata quadam fictione repræsentanda existimo. Age verò, plena sit ista partitio cum tamen sit inanis, quid emolumenti nobis adferet? Non enim satis est artium veras institutiones esse, sed multò magis vtiles esse conuenit. Multa enim verè sed ineptè & absurdè dici possunt: Ad certas (ais) quæstiones certi argumentorum accommodantur loci, sit ne signis, quid sit definitionibus, quale sit, recti prauique partibus disputatur: quid si (inquam) & hæ tres quæstiones & omnes aliæ prorsus hisdem argumentis tractentur: non inutilis erit ista diuisio? illud autem vel tuo ipsius testimonio facile probabitur, hoc igitur fateare necesse est. Etenĩ prima quæstio signis et cõiecturis disceptatur.

quid

quid coniecturæ? vnde ſumuntur? ex cauſsis euentis, circunſtantiis, teſtimoniis, quæſtionibus, exemplis, cõparationibus, denique veriſimilibus & neceſſariis rerum notis, quo verbo omnia argumentorum genera cõplecteris, ſic in partitionibus doces, ergo ad primam quæſtionem omnes inuentionis loci accommodãtur, ad ſecundam quid? ſoláne definitio? At definitio vt in iiſdẽ partitionibus author es, ex omnibus argumentis exponitur. Tertiæ quæſtionis diſceptatio quã hic doces recti prauique partibus (quod argumenti generale nullum nomen eſt) explicari: ex locorũ deſcriptione ſumẽda eſt (vt ais ibidem) vna igitur inuentio communis eſt omnium quæſtionum: neque hi loci harum quæſtionum proprij, ſed omnes communes omnium. Quæ de nomine præcipiuntur à grãmaticis ſemel ea dicuntur. Non fit alia deſcriptio nominibus adiunctis, alia nominibus ſubiectis, prima illa præcepta communia ſũt vtriuſque generis, contrà ſi quis faciat nihilo plus agat, quam ſi det operam vt cum ratione inſaniat. Sic inuẽtionis cum ſint omnes fontes omnium quæſtionum communes, cur in riuulos frangimus? Et ad has modo quæſtiones, modo ad illas contra quàm deceat & expediat detorquemus? Quamobrem & hanc & quamlibet aliam quæſtionũ partitionem tollamus, quando nihil veri, nihil commodi ad inuentionis rationem afferre poteſt. His locis, ais, ſic vtetur orator vt à propriis & perſonis & temporibus controuerſiam ſi poſsit auocet, hoc præce-

ptũ nõ hic solũ, sed in oratoriis tuis valde miratus sum, cũ affirmares omnes controuersias ad vniuersi generis vim referri. Ad inuẽtionis locos nil Opimij nomen, nil Decii personã, deniq; nullã definitã quæstionem circũstãtiis circũscriptã pertinere. Nã cũ quæritur an Opimius iure Gracchũ necauerit, nónne & personæ & cædis tũ facta, tũ caussas, tum reliqua argumentorũ genera ex inuẽtionis locis requiro? Ex inuẽtionis igitur locis non solũ generalis quæstio, sed specialis etiã disputari potest: quod si diceres argumẽta quæ de quæstione posita oriuntur, nisi vniuersè & generaliter tractẽtur, vim nullã habere: aliquid quod intelligi & probari posset, affirmares: vt in Opimii defensione si dicas, ex Senatuscõsulto necauit. iure igitur fecit: ratio perinfirma sit: nisi propositio generaliter statuatur, id omne iure fieri quod senatusconsulto factum sit: Id inquam perspicuè & probabiliter diceretur, tametsi ex parte quadam, non totum: argumenta enim singularia sunt quædam, quæ sic enunciari non possunt, vt Plato est philosophus, idémque Atheniensis, quare & Atheniensis quidam philosophus erit. At hebes & impolitum hominum genus Antonii voce appellas, qui putant etiam controuersias, id est, peculiares & definitas quæstiones, non solum generales & vniuersas locis inuentionis explicari. Obsecro mi Cicero define hasce magnificas nugas tanti vẽditare: sperabã me, cum primò ista dicerentur, scientiam quandam percepturum singularem et admirabilem, quam cæteri antea omnes dicendi

magistri

magiſtri ignoraſſent: at fumum dũtaxat video liberali doctore certe minime dignũ. Similia duo ſunt, vnum quod argumentorum genera loci nominantur, alterum, quod mones vt diſcat orator, vnde emanant communes loci: grammaticæ ætymologiæ octo partes poterant appellari loci, primus de nomine, ſecundus de pronomine, ac de cæteris partibus orationis: eodem modo poterant dialectici iudicii multiplices loci nominari, in ſyllogiſmorũ, & ſimpliciũ & cõiunctorũ modis, Ariſtoteles primus excogitauit vt genera argumẽtorum τόποι, *id eſt, loci dicerentur, parsque illa dialectica* τοπικὴ *diceretur, non ſine ratione, fateor, vt quoniã de inueniendo ageretur, loci videlicet demonſtrarentur vbi res optatæ reperirẽtur: ſed tamẽ ratione prorſus inutili: omnes enim artes docẽt inuenire, vt medicina ſalubria & inſalubria, et Arithmetica numeros, & eorũ ratiões: atq; ideo recte à Platõe oĩs ars ĩuẽtio dicitur. Quãto igitur ſimplicius erat inuentionẽ, ſi hoc noĩe priorẽ dialecticæ partẽ placet appellare, definire artẽ earũ rerũ, quæ dici de quæſtione poſſent: quæ oẽs, quoniã probarẽt & arguerẽt rẽ dubiã, argumẽta dicerẽtur: tũ argumẽtorũ genera deſcriberẽtur loci nomẽ nullũ ſic interponeretur. Atq; hoc è ꝓpoſitis duobus alterũ: ſecũdũ ſeqtur, iubetur abs te orator videre vnde emanãt cõmunes loci: vnde quæſo diſputatiões latæ & inſignes, nõ ex cõmunibus ĩuẽtiõis argumẽtis ꝓmũtur? & vnde ꝑadoxa quæ cõmunes locos vocas, nõne ex iiſdẽ locis, vnde oĩs argumẽtatio diſputatioq; ſumitur? Quid ergo fuit opꝰ, cũ de locis*

 inuẽtio-

inuētionis monuisses, præterea de locis cōmunibus præscribere, quasi nō & illis hi cōtinerentur. Inuētioni *iudiciū subiicis, & mox de collocatione præcipis, & cum duo proposueris inuentionem & dispositionem, tria facis, inuentionē, iudiciū, dispositionem.* Iudicium *quāobrem nunc à dispositione separatur, vbi paulo ante erat à te ipso comprehensum? Cùm enim probares inuentionē & dispositionem non esse proprias oratoris, tum aiebas:* Nam *& inuenire & iudicare quid dicas, magna illa quidem & tanquam animi instar in corpore, sed propria magis prudentiæ, quā eloquētiæ.* Quid *isto iudicandi verbo, nónne dispositio significatur?* Tā *repente verò sententia mutatur?* At *iudicium, cōmunis quædam prudētia est in delectu bonorum & malorum, quòd non magis arte doceri, quàm sensus potest, propterea monemus, vt illud naturæ donum adhibeatur, non docemus vt quasi doctrinæ præceptum discatur,* Itáne *verò iudicii doctrinam nullam dicis?* Quid *ergo stoici? quos acerrimos disputatores semper existimasti, quid reliqui dialectici, an vanam & inanem ex tot cōclusionum generibus & modis doctrinam tradiderūt?* An *syllogismus (quo res omnes æstimantur) & simplex & coniunctus artem nullam habebit?* Vtinam *mi Cicero in explicando iudicio, iudicium tuum potius adhibuisses, quam magistrorum quorundā authoritatem sequutus esses.* Audiuisti *iudicium rebus inuentis adiungendum esse, quoniam vt à fœcundis segetibus nō fruges*

ges ſolum, ſed etiam frugibus inimiciſſimæ herbæ gignũtur, ſic ab ingeniis doctrina præſertim excultis, & tanquam ſubactis, nonnulla aut leuia, aut inutilia cogitãtur, quorũ magnus delectus habendus ſit, quod ſanè verum eſt, id ad diſpoſitionem nihil attinere ſimpliciter credidiſti, itaq; in oratoriis dialogis & in partitionibus, & in hoc oratore poſt inuẽtionem monuiſti de iudicio, tũ diſpoſitionis artes explicaſti, quaſi iudiciũ diſpoſitionis nõ eſſet. Quãto verò in populi cauſsis, in doctrinæ ſtudiis acutior es? Teſtis adducitur vel Catone ſanctior, ei nihil credis, vitã, mores, volũtatem, cauſſas oẽs teſtimonii excutis, omniaq; efficis, ne quid eius teſtimonio tibi noceatur. At in explicãdis artiũ decretis (vbi lõge maxima nõ credulitas, & prudẽtia eſſe debeat) audis illum doctorem affirmantem iudicium, partem eſſe dialecticæ, & diſpoſitione ſyllogiſmi, ac cõcluſione deſcribi fateris, atque etiã ſcriptis libris profiteris. Audis quinque partes eloquentiæ cõſtituentem, inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, actionem: iudicium verò artis nihil habere, fuſum quendam & latè per omnia ſparſum ſenſum eſſe, id quodque credis & ſequeris, & præceptis teſtaris. Quamobrem collige teipſum, & ad academiæ ſpatia, vnde te oratorem tantum (quantus es) extitiſſe prædicas, reuertere. ex illis curriculis reminiſcere, quam non præcipitandum iudicium, quam cohibenda, & ſuſpendenda, non perſpectis rerum cauſsis ſit aſſertio. Sed de tertio partitionis tuæ

membro docuimus, quomodo ſit oratori dicendum: hic quanti nos glires tibi videmur, quanto quamque alto ſomno ſepulti, eodem difficultatis flagello quoties iam verberamur? Rem *difficilem dij immortales atque omnium difficillimam, perge inquam, rem valde difficilem ſentio, & te vehementer occupatum video.* Memo*riam contemnis, quia ſit ea communis artium multarum: quo argumento quid intelligas, ſanè vix intelligo.* Etenim *ſi memoriæ vſum exiſtimas communem eſſe multarum artium, vt hæc memoria teneantur: libenter aſſentior: quinetiam de meo, ſi voles, addo omnium non modo artium, ſed quarumuis aliarum rerũ, quæ in hominis ſenſum aut intelligentiam cadant, memoriam eſſe communem.* At *iſta ratione fuit inuentio tibi & collocatio contemnenda. & deinceps elocutio & actio: quoniam omnium rerum pariter communes ſunt. ſin autem multarum artium eſſe dicis de memoria præſcripta quædam & formulas exprimere, id nullo modo concedam.* Nam *quicquid eſt artis, qua memoria poßit adiuuari, ordo ac diſpoſitio rerum eſt, qua quid primũ, quid ſecundum, quid tertium ſit, animo cernamus.* De *locis autẽ & imaginibus, quæ vulgo dicũtur, valde ſunt inepta, & à quibuſdam artis magiſtris merito deriſa: quot enim imagines* Philippicæ *Demoſthenis deſiderabũt?* Ordinis *porrò quoniã ſola dialectica diſpoſitio doctrina eſt, ab ea memoriæ præſidiũ aliquod & ſubſidiũ peti poteſt.* Quare *vt inuẽtionẽ & diſpoſitionẽ, ſic me-*

moriam

moriā illi arti verissimè possis attribuere. Dicēdi modus sequitur, quem partiris bifariā, in elocutionem & actionē, laudo: reiicis actionem velut cōmunem. nō laudo: has enim partes duas eloquētiæ proprias esse iudico, tres enim sunt artes, quas iam sæpius nomino, cōmunes maximè, maximeq; generales: grāmatica, rhetorica & dialectica duæ priores sunt sermonis & linguæ, tertia rationis & prudētiæ. hæc cogitat & ꝑpēdit oīa: illa cogitata purè & ornatè pronuntiat. grammatica docet purè scribere, ac pro tēporis ratione contendere, inclinare, inflectere syllabæ modum: rhetorica docet ex tropis, figuris, numeris ornatè dicere, eadē nō solū graues & inflexos sonos (quod à grāmatica didicerit) sed vt orator animum audientis moueri volet, ita certū tota oratione admouebit sonum: vt contēta voce atrociter, summissa leniter, inflexa miserabiliter, inclinata grauiter & acerbè dicat. Gestū corporis ac motum ad vocis modulationes & varietates accōmodabit: idque non vt cōmune, sed propriū declarabit. At cum histrionibus illud est orationibus cōmune, vel hic nos potius illorum iuuamur & instruimur arte. Sic à Satyro Demosthenes & tu, sicuti audiui, à Roscio adiutus es. Ego verò hæc eò pertinere non statuo, vt quia histriones in pronūciandi dignitate elaborarunt, & ab iis oratores quidam adiuti sunt, idcirco ars pronūciādi non sit oratorū sed histrionū ꝓpria: de hoībus hæc dicūtur non de artibus. Cū Romæ esset auditū Hortēsiū esse dictur ū,

histriones eo conueniebant, vt ab eo gestus dignitatem & præstantiam discerent. Hoc modo igitur *extorquebo, vt histriones oratorum discipuli esse videantur, nõ magistri.* Artes ex *sua natura, non ex hominũ studiis metiendæ & æstimãdæ sunt.* Si *coquus carnium variarũ, si fructuum, si herbarum naturas nouerit, iísque in condiendis cibis scite vtatur, non tamen sit ea cognitio coquinæ potius quã physicæ:* Nemo *inter artes liberales artem histrionicam numerat, attamen ex his duas, grãmaticam, & rhetoricã fatemur esse sermonis, non solum texendi & ornandi, sed efferendi ac pronũtiãdi.* Quare *queẽadmodũ dialectico inuentionẽ, dispositionem, memoriã merito aßignamus, sic actionẽ & elocutionem oratori propriã relinquamus.* Quod *quidem nescio quomodo, velut aliud agẽtes apud te* Crassus & Antonius *indicãt, cum* Antonius *(qui ad ingenii prudentiã & cõstantiã inueniendi, disponẽdi & recordãdi ꝓpius accederet) hasce tres partes oratorio secũdò tractet, & explicet:* Crassus *cuius magnificentior esset oratio, reliquo sermone laudes elocutionis & actionis persequatur: vt quæ erant in oratoris nomine ante cõfusæ dialectica & rhetorica, partitione illa distinguerentur.* Sed *iam tertii mẽbri pars altera exponẽda est: vnica autem est elocutio, vnde promi poßit orator, & nomen ipsum oratoris indicat solã elocutionẽ oratoris esse propriã, cætera in eo latere: quod tibi hactenus cõcedã, vt æstimẽtur in elocutione ita latere, vt animus in*

corpore

corpore: sic enim anteà inuentionem, dispositionemque cum elocutione comparasti, non autem tanquàm elocutionis splendore reliquarum partium dignitas obruatur: maior est enim inuentionis & dispositionis prudentia, quam vt cum sola eloquentia comparetur, & paulò ante confirmabas multos infantes actionis dignitate eloquentiæ fructum tulisse, disertos verò deformitate agendi multos infantes habitos esse, vt nō sine caussa tribuisset Demosthenes, & primas, & secundas, & tertias actioni: nō igitur maiores illæ nobilioresque partes latent in elocutione, sed elocutio cum ab his & sensum, & spiritum hauserit, statū suum præclarè tuetur. Verùm multa genera facis elocutionis: philosophi verecundè dicūt, et moliter: sophistæ suauiter et argute: historici æquabiliter & fusè, Poëtæ numeris cùm sint astrictiores, reliquis tamē generibus dicēdi licēter vtūtur et liberè: quæ oīa quidē orationis genera eloquētiæ propria sunt, cum soli rhetoricæ proprius omnis orationis ornatus concedatur. Quare quamuis in singulis nō omnes dicēdi laudes positæ sint, ea tamen sunt etiā oratoria, & similibus propositis argumentis similiter ac illi sunt locuti, perfectus orator diceret: nec hoc loco sicut anteà de sophistis dictum est (quos hic inutiliter cū oratore denuò comparasti) satis aptè facta est ista distinctio: sed tamen in his præclaris differentiis constituendis quid attinet quæ sunt inuentionis, inculcare? philosophi sedare malunt, quàm incitare, de placatis rebus

ac minime turbulentis docendi causa, non capiendi loquuntur: sic sophistis ais propositum esse non perturbare animos, sed placare potius: nec tam persuadere, quã delectare. Itaq; magis concinnas exquirunt sententias, quàm probabiles, à re sæpe discedũt, intexunt fabulas: sic de historia postremo loqueris. In qua & narratur ornatè, & regio sæpe, aut pugna describitur, interponuntur etiam sæpe conciones & hortationes: quid, inquam, hæc omnia quæ non imprudenter effudisti, sed de industria palàm atque apertè collegisti, non elocutionis (de qua sola nunc disseris) propria sunt? nunquid inuentionis facta sunt omnia? quàm vero ridiculum esset cum de generibus diceres argumentorum, figurarum dissimilitudines interponere: tam hoc tempore ineptum iudicandum est, cum de differentiis præcipitur elocutionis, quæ sunt inuentionis admiscere. O te M. Cicero sapientem, si Apollinem verißimè tibi consulentem audire voluisses: meministi enim quemadmodũ tibi de tua laude sciscitanti responderit, vt naturam potius ducem, quàm multorum opinionem sequerere. Ingenio prorsus admirabili, accerrimo iudicio natus eras: quibus bonis quoties libere vti voluisti, Cicerone præstantiorem virum neminem iudicaui. At quò te simplex & credula de inertibus magistris opinio deduxerit, tam multa in primæ reprehensionis parte tertia peccata admonere te possunt. Partitio ipsa primùm si

vera

vera esset, tamen partis vnius omissione vitiosa, aut falsas partes amplectitur, inuentionem & dispositionem, quas elocutione tum inferiores, tum superiores facis: easdemque oratori & tribuis & detrahis: falsam & inutilem quæstionum partitionem instituis. quid quòd affirmas quæstionis specialis nullam esse artem? quòd alios argumentorum, alios communes locos? quod expers artis iudicium putas? quod elocutionem philosophorum, sophistarum, poëtarum, historicorum, oratoris esse negas? Atque *has tam duras tamque obscuras salebras præteruecti, nondum tamen oratorem vel oratoris speciem(nec enim facile est diuinare vtrum quæras in* Latio, *in Græcia, in sophistarũ scholis, in inuentione, dispositione, memoria, actione, elocutione) philosophorum, sophistarum, poëtarum, historicorum reperimus.* Ad *id igitur quod postremo primæ reprehensionis loco positum est, accedamus, in oratore tractando fortasse felicior es, quàm fueras in inuestigando.* Audiamus *igitur quæ tua definitio sit, quæ ex rebus adiunctis facta sit exornatio.* Non *sit inuentus orator tam multis in regionibus: an nusquam tandẽ reperietur?* Erit *(ais) eloquens is qui in foro, causisque ciuilibus ita dicet, vt probet, vt delectet, vt flectat. rem nouã dii immortales minimeque omnium abs te in hac disputatione speratã: quantò melius in oratoriis ac verius græculos huius*

sententiæ

sententiæ authores irrisisti? qui in ciuiles et forēses causas oratorē detruderent ac cōpingerent: quanto cōstantius ibidem de vi oratoris ac possessione docuisti, vt de omni re quæcunque esset posita ab eo ornate copiosèque diceretur? & hic oratorem in iudicia & conciunculas velut in vincula coniicis: illic nullis terminis circūscribis, quominus liceat ei vagari quo velit. Age verò tollatur forum, en sit ista per disertos vel eloquentes homines litigandi ratio, dicat pro se quisque: patronum nō adhibeat, nulla sit ad populū dicendi potestas, resp. Regum aut tyrannorum dominatione teneantur, legibus à principe scriptis pareatur, quæ oīa & facta sunt aliquando, & natura fert vt accidere in posterum queant: an eloquentia, quia locum abs te nusquam definitum obtineat, nullum prorsus obtinebit? languescet? peribit? at inquies cæteris omnibus in rebus non inficior eloquentiam versari: sed magis aßiduè & maiori cum laude in forensibus causis occupari dico. Teneo inquam, sed tamen qui diuinare istud poteram, cum verbis aliud exprimeres? tum autem istud quale est quòd definitio tua non semper orationi conueniat? Reminiscere quæ anteà de lege definiendi tradideris: ideas Platonis in memoriam redige, quas ille gigni negat, et ait semper esse, at id quod nobis definis, natum aliquando est, quod nō semper fuit: nec esse istiusmodi necesse est, cùm poßit accidere contrarium: Addis in ista definitione, ita dicet vt probet, vt delectet, vt flectat: O cæcam

& lu-

& lubricam definitionis rationem: negasti anteà inuentionem eloquentiæ esse propriã, & quiddã longe perfectiùs simulasti te cogitatione & animo cõplecti: at nũc quod anteà repudiaras, repetis: & oratoris perfecti primã laudẽ facis docere: vnde porrò vis ista docendi emanat? an è luminibus et ornamẽtis elocutionis? nihil minus, sed tota inuentionis est: vnde etiam & delectandi & mouendi reliquæ partes multò copiosius & abũdantius oriuntur, quã ex elocutione. Testẽ ignotum et peregrinũ nullũ proferã, teipsum tibimet opponam: In oratorio secundo inuentioni: non solũ fidẽ, sed delectationem & motũ subiecisti: in partitionibus idẽ fecisti. Inuẽtio igitur quæ tibi anteà nõ tã insignis ad oratoris laudẽ videbatur, q̃ necessaria, eadẽ nunc oĩm laudũ (quas habeat orator) propemodũ sola effectrix & mater videtur. Simillime verò ac si pictor aliquis tibi tabulam eximiam polliceretur, negaret, ex vllo colore vulgari futurã: non è nigro, non candido, non rubro, non viridi, non purpureo, non ceruleo: tandem cùm diu multumq; emptorẽ suspendisset: è quo tandẽ colore rogares tabulã istã mirabilẽ conficies: ex viridi respõderet & ceruleo: nonne merito pictoris illius vanitatẽ & iactantiã irridendã & explodẽdam iudicares? at tu quid ais? talem oratorem fingã, & informabo qualis nunquam fuit: neq; enim è Latinis, è Græcis oratoribus, è sophistis quisquam talis extitit: non est ista perfectiò in inuentione, dispositione, memoria, actione, elocutione

philosophorum, sophistarum, poëtarum. Hic *cum expectationem nostrã tam longa, tamq; diuturna expectatione suspenderis: si id rogemus, vbi nam igitur tanti oratoris virtus sita est? tum respondeas, in inuentione: vt tametsi non verbo, re tamen ac veritate vim mirabilis huius oratoris in inuẽtione positã esse fateare: quid enim? cõsidera, qua ratione expectationẽ tantã, quantã promissione tam prolixa, tãq; verbosa cõcitaueras, tandem tueare:* Sequitur *vt tribus officiis oratoriis tria docendi genera accõmodẽtur, subtile in docendo, mediocre in delectando, graue in flectendo: eamq; partitionẽ ex decoro deducis: cuius admonitio quid cuiq; opus sit, quid conueniat, quid deceat, tametsi est in omnibus artibus, imò in omnibus dictis & factis necessaria: eius tamen consiliũ et doctrina dialecticæ propria est,* Hic *nos dormire adbuc arbitraris:* Magnus *(ais) est locus hic* Brute, *quod te non fugit, & magnum volumen aliquod desiderat: magnus est locus.* M. Tulli *fateor, neq; tamen valde magnum volumen desiderat.* Vim *eius infinitam quandam vides, artem tamen videris nõ satis intelligere, nam antea dialecticæ separatim aliquid attigisti, cum de genere, specie, definitione, partitione, veri falsique regula dictum est: & postea de inuentione, iudicio, dispositione præcepisti, tanquàm & hæc ab illis diuersa essent.* Idem *sapiẽtiam singulari quidem nomine, sed parum intelligenter expresso nominas.* Quid *enim est sapientia hæc? philosophiane de moribus? minime.*

Nam

Nam hic cùm honestum verbo oportere, & decorum verbo decere appellas: hæc separas & distinguis. Idq; aliis etiam libris apertius facis, an philosophia de natura & rebus occultis? nequaquam. Neque enim est vllũ in tota illa sapientia verbũ de decoro: quænam est igitur ista sapientia? Dialecticáne? hæc enĩ restat è tribus partibus sapientiæ: non ita videris existimare, cũ de dialectica dixeris anteà, et dicturus postea sis: et tamẽ decori nullã mentionẽ vna cũ dialectica, nec antea feceris, nec facturus postea sis. Quãobrẽ vt veteres illi primiq; philosophi cùm cœlestium orbium constantes & ratos motus, cùm stellarum cursus, & recursus certos & immutabiles animaduertissent, mirabilem quãdam harũ tot tantarumq; rerum effectricem vim esse crediderũt: qd tamẽ esset, ignorauerũt: sic tu cũ in poëtis, in pictoribus, in histrionibus, in vita, in moribus, in oĩbus dictis, & factis minimis, et maximis admirabilẽ modi cuiusdã & decori rationẽ: pro singulari tuo iudicio perspexeris, captus admiratione et incensus sapientiã appellas: sed quid sit, qua ratione & via cognosci poßit, non demonstras. At mi Cicero dialectica ista vis est, quæ quicquid sit, quod addubites, deceat, prosit, noceat, rationes ostendit: iudicãdi regulas præbet, et hoc ipsũ inmensi vsus esse cõfiteor, artis modicæ et paucorũ præceptorũ esse dico, quæ dialecticæ ĩuẽtionis et dispositionis ĩstitutis cõtinẽtur. Ab hoc decoro ad genera dicẽdi puenis: et è somno nos excitas, magnũ opus et arduũ Brute, sed ĩgredientibus

dientibus consyderandum fuit quid ageremus. Verùm perge, neque enim probare cuiquã potes, non modo ex academiæ spatiis, sed ne ex rhetorũ quidẽ officinis, hæc profecta esse, vt cum vigilantem auditorem, & per se audiendi cupidum acceperis, toties sine caussa, & eodẽ quod molestißimũ est, argumẽto exagites: Si me Hercule de Salamine aut marathone qui rhetorum campi sũt, apud Gorgiam aut Isocratem declamares, vix profectò quisquã tã molles delitias pferret: In artis aut absolutione describenda, vbi prudentia & diligentia partes oẽs occupauit, iactantiæ & ostentationi nullum locum reliquit, nos ineptias istas perferemus? Sit tamen (vt dixi) perge: de generibus dicendi præcipis, de quibus antea præceperas, vt necesse nihil esset hæc eadẽ rursus inculcare, sed tamen ex omnibus tuis in hac quæstione peccatis hoc vnũ maximũ mihi visũ est, quod cũ in oratoriis dialogis de hoc ipso elocutionis decoro post expositas omnes oratoriæ suppellectilis facultates abs te dicatur, nunc nondũ descriptis ornamentorũ generibus (id enim postea facis) de delectu præscribis, & totã rẽ confundis: admisces, in elocutionis generibus denuò quæ sunt inuentionis, de sententiis acutis, de salibus in genere subtili, de affectibus in graui, iudiciũ scilicet de eorum atq; aptum de rebus nondum expositis atq; explicatis facis: Exclamas. Tenemus Brute, quem quærimus, quem nũquam vidit Antonius, quem inquam? qui & humilia subtiliter (ais) & magna grauiter, & mediocria temperate potest dicere: O præclarã & veram

gratula-

gratulationem, quasi non & illum initio inuentum tenuerimus, & iisdem generum laudibus definitum: tum relaberis ad illum furorem poëticum: Obiicis *enim tibi neminem oratorem talem vnquam fuisse, qualē definieris, quid enim initio nónne idem?* At *ego in summo oratore fingendo talem informabo (ais) qualis fortasse nemo fuit.* Rationem *porrò* Platonicæ *formæ eādem ad vtrūque locum accommodas, sic velut in mari fluctibus ad eosdem scopulos sæpius reiiceris.* Vteris *tamen interea magnificis sane & illustribus exemplis, quod si à tanta confusione abesset, laudandum & vehementer probandum iudicarem, sed caligine perpetua vniuersum opus obruis, atque ita nobis oratorem definis, falsa definitione, decori valde indecora & generum dicendi prorsus aliena confusione, atque hæc de oratoris definitione.* Exornationem *ipsam spectemus, in qua dialectica, ethica, physica, iura, veteris memoriæ monumēta oratori subiiciuntur.* Quamobrem? *quia sine his perfectus esse nō potest: quid inquā non potest philosophus, nō potest historicus sine eloquētia pfectus esse.* Quare *eloquētiā philosophis et historicis ministrā aidūgamus:* At *eā dominā reliquarū artium cōstituis? quid ista quā incōstāter dicātur, nō vides? vsum artiū omniū cōmuni quodā vinculo cōtineri sæpe iā propter istā tuam perpetuam confusionem, repeto: ac præcepta separanda sunt: & mirificum est in perfecti oratoris explicatione, toties eādem rem & temere abs te perturbari: nullus erat in oratore definiendo, & suis omnibus nume-*

ris absoluẽdo proprius locus vbi de dialectica dici posset, tu tamen pro singulari ingenio tuo tres inuenisti. At fortasse ipse fallor, & potest eadem res sæpius sine reprehensione dici. Ergo, inquam, hac propugnatione tutus eris? Verùm enimuero attende quid hic tibi respondeam. Nosti quæ Solonis in condendis legibus prudentia fuerit? & quam omnium gentiũ iudicio cõprobata? Hic autem thesmothetas constituit, qui quotannis leges ciuitatis legerent, & accuratè perpenderent, ac si duas de re eadẽ reperirẽt, deteriorẽ abrogarent, cõseruarent meliorẽ: præcepta autem artiũ vt verißimè summus author Plato cõfirmat, leges sunt: quare vna de re vnicã dũtaxat legẽ teneamus. Vides quo modo cõcludã, nõ veto quin puer qui discere velit, idem præceptũ legat, repetatq; decies, donec mẽte memoriáque cõplectatur: imò verò omni exercitatione cõsequatur. Sed te accuso, quòd eandẽ rem tã sæpe præscribas, quæ semel præscripta parem vtilitatẽ adferret. Vtilitas enim illa præcepti frequentius iterãdi nõ ꝑcipitur scribẽdo & dictãdo, sed legendo, audiendo, exercendo: quod vnico præcepto posito ꝑinde fieri potest, ac si millies idem mille diuersis locis traderetur. Attamen cũ nobis dialecticã tradis, qua ratione à rhetorica seiũgis? Dialectica est eloquentia cõtracta, rhetorica q̃dã est dilatata dialectica: sic Zeno, sic Aristoteles philosophi cẽsuerũt (ais) quod de hoĩbus discrimẽ, nõ de artibus ipsis est inuentum, qui in scholis tenuiter & succinctè de rè

proposita

proposita disserebant dialectici, qui in foro res ciuiles copiosius & vberius tractaret, oratores sunt appellati. At per Deum immortalem spectemus potius in artium veritate, subtilitate, & perfectione inuestigãda, quid res ipsa ac natura desideret, quo progrediatur, quàm quales & quibus nominibus artifices vulgo sint nominati, redeamusque ad Platonis (quas tam mirificè amplecteris) ideas: perpetuum aliquid & immortale, nihil caducum quæramus: vnus est in hominis natura senatus, vnum consilium, ratio est: cuius explicationem & doctrinam dialectica sibi vendicat: duo sunt in vestibulo curiæ præcones, ad ea quæ senatus decreuerit, perferenda atque enuntianda, sermonis puritas, quam sibi grammatica declarandam sumit, orationis ornatus, cuius artem sibi rhetorica sumit. Consideremus igitur omissis opinionibus omnibus (quæ tã sæpe fallunt) quam latè pateat vsus rationis, an aliquis sit orationi locus, vbi nullus sit rationi, nullum sanè reperiemus. Quicquid enim dicitur, id ratione recta, aut captiosa, prudenti, aut stulta conficitur: in poëmate, epistola, oratione, altercatione, sermone sit nihil interest, ratio est: sic quæcunq; de re ornatè dicitur, res aliorũ sit studiorum, ornatus tamen est rhetoricæ proprius: sit rhetorica suis cõtenta legitimis ac propriis finibus, suas sibi res dialectica habeat, latius sanè dialecticæ vagari, quã rhetoricæ licebit, quando nihil dicitur sine ratione, id est, dialectica, sine exornatione,

Oratorem philosophia, legibus, historiis instructum, ad rhetoricam reuocas de generibus caussarum, & quæstionum quod totum & falso & inutiliter præcipi antea docui nihil enim ad vsum inuẽtionis & dispositionis (quæ solæ sunt ad rem disceptandum partes) quæstionũ legalium, rationalium genera ista spectant, satis enim est id de quo agitur per se spectari, an legalis, an rationalis appelletur ea quæstio, nihil ad artis vsum. Incidis quarto loco in inuentionem argumentorum, nec tamen animaduertis in tã confusis erroribus te versari: dispositionẽ & elocutionẽ nouo nomine appellas tractationẽ, quæ doceat, quo ordine & quomodo singula tractanda sunt. At nimium peruicax iandiu fortasse videor, qui doctrinæ perfectionẽ quãdam, & accurratam descriptionẽ abs te requiro, cũ id tibi minime propositum fuerit. Audio inquam & multis iam ante locis, id te toties dicere valde miratus sum vnde sunt illæ callidæ cautiones, *nulla præcepta ponemus neque enim id suscepimus, sed excellentis eloquentiæ speciem & formam adumbrabimus, nec quibus rebus ea pareetur exponemus, sed qualis nobis esse videatur.* Item *de quo plura dicerem, si præcipiendi tempus esset.* Item *illud tamen quod ante diximus, meminerimus, nihil nos præcipiendi caussa esse dicturos, atque ita potius acturos, vt existimatores videamur loqui, non magistri.* Item *quãdo autem, aut quomodo id faciat, nihil ad hoc tempus quoniam vt supra dixi iudicem me esse,*

nõ doctorem volo. Item, quoniã autẽ non quem doceam quæro, sed quem probem. Hæ sunt aduersus accusationis suspitionem præclaræ defensiones comparatæ: Reprehendo confusa in hoc libro esse omnia, multa falsa, multa aliena: quid tũ? non est mihi (ais) cõstitutũ præcepta ponere. Conturbet igitur Ciceronis orator omnia, comminiscatur, fallat, imponat, nihil ad rem: non enim vult oratorem docere, sed probare: Magna quidem te Marce Tulli, & acerba contumelia iamdiu afficere videar, si ratio ista contra me valeat. At mihi videor hanc astutiam veteratoriam (qua te iudicibus tenebras offundere, etiam aliquando gloriari soles) deprehendisse: quid enim habet ista contra tam multa peccata defensio, non doctorem me, sed iudicem æstimari volo, nec formulas exprimere, sed excellentis eloquentiæ speciem adumbrare. Age verò si te duntaxat interrogem. An excellens grammaticus, perfectus dialecticus, siue natura, arte, exercitatione possit existere: negabis opinor, cum alibi doceas, quod à Platone ante didicisti, omnes artifices hisce virtutibus perfici, Itemque si requiram ad exprimendam grammatici, aut dialectici præstantiam tria ne illa, an ars sola describenda sit, solam artem dices, quoniam & naturæ vires imitetur, & ad vsum viam paret. Postremò si illud etiam percunctabor, nónne

quanto

quanto artis vis exactius & excellentius expressa fuerit, tanto artificem præstantiorē esse demonstratum putas? Tantóque perfectius oratorem expressum, quanto pingetur oratoris, ars absolutius? Nihil hic commentis opus est, res ipsa patet. si inquam hæc dūtaxat ita contra te dicerem, tamen obtinerem & conuincerem, vt quæstioni susceptæ satisfaceres, artem oratoris, & facultatem exactissimè tibi describendam esse: veruntamen non solum arguo te veras artis & perfectas vias aspernatum, sed falsas & contrarias secutum conuinco: non dico te tantum multas explanationes necessarias omisisse, sed præceptiones irridendas & explodendas tradidisse. Quare nihil ista cautio, tam astuta toties repetita tueri, te potest, quin depēdendum tibi sit, qui tanta asseueratione pro oratore perfecto spopondisti. Ad oratoris exornationem corollaria, scilicet accesserunt θέσεις, αὐξήσεις, παθητικὸν, ἠθικὸν, quæ mirabilia in oratore esse existimas, quod quidem vt verum esse fateor, ita longe à te in earum rerum præceptis dissentio. Nam & loci communes, & amplificationes, & affectus, tum leuiores, tum grauiores ex iisdem fontibus hauriuntur: vna inuentio & argumentorum explicatio est omnibus communis hisce rebus perficiendis, apta, idonea, seipsa cōtenta: adiuuāt etiā elocutiones ornamēta,

ſed & inuentionis & elocutionis generalia præcepta hæc omnia ſuppeditant. Fecerunt ridiculè, & *inepte magiſtri (quos modo ſequeris) qui nobis iſtarũ rerũ, neſcio quas arculas excogitarunt.* At mi Cicero in *tam lõginqui erroris tui fine tãdem quid agis? ac cũ de affectibus loqueris, quonã ipſe affectu reperis ac turbaris: vt magno probitatis & cõſtãtiæ tuæ periculo te oratorẽ tam glorioſum nobis oſtẽdas?* Nobis *enim (ais) pro familiari reo ſummus orator, nõ reſpondit hortenſius, at id nõ orationis tuæ, ſed calliditatis nouo quodã genere perfectum eſſe meminiſti.* A *nobis homo audaciſsimus* Catilina *in ſenatu accuſatus obmutuit.* At *verò ſicut hiſtoriæ loquuntur (non modo tibi reſpõdit, ſed vniuerſo ſenatui grauiter & acerbè reſpõdit.* No*bis priuata in cauſſa magna & graui, cum cœpiſſet pater* Curio *reſpõdere, ſubito aſſedit cum ſibi venenis ereptam memoriam diceret.* Verùm *in ſermone de claris oratoribus ad me nuper ſcripto aliter multo loqueris (ais enim)* Curio *memoria ita fuit nulla, vt cum aliquoties tria propoſuiſſet, aut quartum adderet, aut tertium quæreret: qui in iudicio priuato, vel maximo, cum ego pro* Ticinia Cotte *peroraſſem, ille contra me pro* Seruio Næuio *diceret, ſubito totã cauſſam oblitus eſt, idque veneficiis & cãtionibus* Ticiniæ *factum eſſe dicebat: vbi verius illius vitio attribuis, quod nunc falſa laude tibi ſumis.* Quamobrem *non ſolum te de confuſis & inanibus præceptis arguo, ſed de falſa &*

arroganti

arroganti gloriatione, familiariter admoneo. O me brutum & stupidum fateor enim quando cõtraria non solum audio, sed etiam video, planeq́; sentio: crediderã in tantas rerum perturbationes, anteà te imprudentia, aut magistrorum opinionibus deceptũ incidisse, et nunc vanæ gloriationis caussam nullam poteram percipere: At *fluctus de industria commotos à te sentio, in falsa definitione oratoris, in decori, in generum, in omniũ artiũ perturbatione, vt tempestate tam diuturna vexati, & minus ad iudicandum attenti,* Ciceronẽ *perfectum illum (quem nunquam viderat* Antonius, *quẽque exprimere, vix ideo cõcessum, esse dicebat) perfectũ inquàm illum & omni laude cumulatũ oratorem esse putaremus.* P*erfectus est orator qui potest parua sũmisse, modica temperate, magna grauiter dicere:* Cicero *hæc omnia potest, dixit pro* Cecinna *subtiliter, in lege manilia temperate, pro* Rabirio *grauiter, hæc eadem interdum tẽperauit, et variauit, vt in septem accusationis libris, in* Cornelii, *in* H*abiti, in plærisque aliis orationibus, nulla denique est in vllo genere laus oratoris, cuius non sit in orationibus* Ciceronis *perfectio, imò verò primus ieiunas huius multiplicis orationis aures ciuitatis accepit: primus ad hoc genus dicendi, incredibilia audiendi studia conuertit.* Philosophiam *totam tenuit, imò ab ea tantus orator est effectus, leges, historias, rhetorũ præcepta didicit,* θέσιν & αὔξησιν, *quoties vult arripit, affectus ardentiores nullus vnquã mouit.* Itaq;

sæpe aduersarios de omni statu deiecit, nihil respondit Hortensius, *Catilina obmutuit*, Curio *metu memoriā amisit*. Concludamus, *aut si nequeamus à* Diogene *minam repetamus : est enim complexio manifesta huiusmodi antecedentibus probatis*: Perfectus *orator est, qui potest parua sūmisse, mediocria temperate, magna grauiter dicere* , Cicero *hæc omnia copiosissimè præstitit: est igitur perfectus orator . Siccine nobis oratorem* M. Tulli, *nomine tuo tandem, tam alienis , tam supposititiis, tam translatitiis ornamentis instruis, vt te suspiciamus & admiremur?* Ego verò *te magis anteà admirabar: nunc multò minus admiror, cum intelligo quā cupide, quàm ambitiose in istam disputationem ingressus sis*. Hactenus *de oratoris inuestigatione & exornatione tibi respondimus : quod erat primæ partitionis nostræ membrum primum , secundum, & vltimum in elocutione versatur: quam partem cum oratori solam & propriam reliquisses , inuentionem , dispositionem, memoriam, actionem communes fecisses , præ cæteris exornare debuisti, hic te ostentare, hic oratorias facultates exercere, hic iactationem gloriosam habere , & cursum prædicabilem tenere potuisti : hic campus , hæc palæstra concessu omnium dabatur ad omnes oratoriæ suppellectilis opes explicandum, & propalàm collocandum: quicquid tropis illuminare , quicquid figuris & verborum, & sententiarum delectare , vel incitare, quicquid numeris placere potest , id cum defini-*

tionibus

tionibus accuratè esset expositum, quam magnificè vel alienis, vel tuis exemplis illustrare potuisses? Atq; vtinam potius istam laudem adamasses: esset enim melius & artis huius studiis & gloriæ tuæ consultum. At o*mnem sanè elocutionis doctrinam ita contempsisti, vt non explicare docendo, sed omnia confundendo, ac conturbando perdere voluisse videaris: neque enim audio quod ais, cum hæc tu optimè* Brute *teneas, quid attinet nominibus vel exemplis vti? tantummodo notetur locus. Quid ergo an me solū hæc lecturum putasti? an potius (vt ipse ais) ad alios si minus nostro nomine, tua tamen commendatione peruentura sperasti? quare his etiam lectoribus, qui minus ista quam nos, nota habeant, prospici oportuit & prouideri:* At *in toto libro, vt dixi, nihil cõtemptius, nihil abiectius, nihil negligētius est expositum.* T*ropum nusquā definis: de generibus troporum vnicam metaphoram attingis, nisi fortè de superioribus metonymiam, abusionē* ἀλληγορίαν *placet intelligi: reliqua genera ais ex collocatione verborū summi: qua quæso ratione? an quia idē in oratorio tertio tibi placuerat error? sic enim ornatum orationis partiris, & in hoc libro, & in aliis, vt sit in singulis verbis, & coniunctis: in singulis propria sint, nouata, translata, & translationis nomine tropos omnes intelligas: in collocatis autem figura sit & numerus.* T*um verò partitionis factæ immemor tropos etiam omnes præter metaphoram in collocatis verbis esse statuis?*

Vbi

Vbi est acumen tuum M. T*ulli? vbi vis ingenii? tropi omnes in singulis verbis partitione prima locantur, tamẽ idem omnes præter metaphoram ponis in coniunctis: tantam repugnantiam nõ vides? Quãquam ne idipsum quidem omnino verum est, quod reliqua genera præter metaphoram in collocatis verbis esse ais.* N*am metonymia, sinechdoche, ironia, ac è reliquis tropis etiam nonnulli sæpe in verbis singulis versantur. Atque hæc in tropis.* F*iguras omnes tam deformiter afflixisti, vt fastidiosam & insolentem despicientiam duntaxat hic agnoscam: sic non confusè tantum, sed profusè cumulas quicquid hic tibi somnianti temere ac fortuito occurrit: In figuris verborum reticentiam & exclamationem numeras, quas tamen constat figuras esse sententiarum, quin reticentiam teipsum scilicet accusans & condemnans, in figuris sententiarum constituis.* Mirandum *autem non minus est, quod asyndeton numeres, polisyndeton relinquas: quod cõtraria, similiter cadentia, desinentiaque proponas: parium obliuiscare* E*cquid nunc attendis, quãobrẽ aliena permisceas, propria prætermittas? In figuris vero sententiarum, quid commune cum figuris habent commoratio, extenuatio, irrisio, quæ omnibus argumẽtis & figuris fieri possũt? quid propositio? definitio? argumentum ratione conclusum? diuisio in partes? similitudo? exemplum? tributio? quæ dialecticorum tota sunt.* Q*uid vero digreßio? reuocatio sui ipsius? iteratio? collatio culpæ in aduersariũ*

in

in hilaritatem risúmque conuersio, interpellatoris coërctio, denũciatio cautionis, ira, obiurgatio, deprecatio, supplicatio, medela, digressio rursum, optatio, execratio, insinuatio, breuitas, hilaritas rursus. Atq; *in hac ꝓdiga commentatione, cur toties & tam obliuiose eadem iterantur? sæpe vt irrideat: sæpe in hilaritatem risúve conuertat, sæpe hilaritas, tum vt declinet à ꝓposito, deflectatq; sententiam, & à proposito declinet aliquãtulum, tum vt ante præmuniat, vt ante occupet, tum vt diuidat in partes, vt aliud alii tribuens dispertiat: quid hæc inquam toties iterata: quid aliud nisi præcipitem obliuionẽ demonstrant? aut fastus specie ac simulatione ignorantiam tegunt ac velãt?* Sic enim *adfirmo de tropis & figuris, nihil adhuc à quoquam via & arte esse descriptum, eãq; ex omnibus artibus artem, & rationem esse difficillimã, vt verè singula in tropis, & figuris, et definiantur, et in sua genera redigãtur:* Quæ *tamen vt de* Crasso *tute ipse soles dicere, nõ tam existimari vis nescire aut non posse docere, quàm despicere, atq; cõtẽnere.* Antea *cũ* Latinos *oratores, &* Græcos, *cum sophistas etiã tam longe ab oratoris perfecti laude distraheres, cũ nihil inuentionis & dispositionis prudentiam, nihil actionis dignitatem præ elocutionis gloria esse diceres: &* Critolaï *pene librã quãdã ĩduceres, in cuius altera lance positas oẽs reliquarum rerum laudes, quin cum his maria & montes elocutio sola deprimeret.* Quantum *prò* Iuppiter *elocutionis põdus nobis*

promittere videbare? At cum huc peruenisti, rē omniū leuissimā fecisti, vt ex ea te ꝑridiculum hoīem iudicaremus. Verūtamen numerus superest, quē collocationē appellare maluisti, sed de hoc postea dicā: Hic te spero noua diligētia præteritā neglīgētiā cōpensaturū: quod te tandem fecisse gloriaris. Et quoniā (ais) plura de numerosa oratione diximus, quā quisquàm ante nos. Quare bene sperare de te in posterū poßimus, qui oēs artis huius magistros studueris vīcere. At eūdē te doctorē præstabis, quem adhuc præstitisti: nihil perspicuè, nihil acutè, nihil propriè declarabis: tibi atq; ingenio tuo obtemperabis: miscebis aliena, falsa, inania, nec vllā verè doctrinæ lucem adhibebis: Collocatio, est orationis volubilis & iucunda cōpositio: quid tu? quomodo definis? nempe quo cætera ante definisti, imò verò ne nos de disciplina potius aliqua quæstionē tractari: quā pompam & speciem sophisticæ ostentationis quæri putaremus, septimo loco, nos à re ꝓposita deducis: respondes prolixè & verbosè numeri reprehensoribus: quos re vera nullos esse arbitror: sed cōmunis aliquis locus, & latior campus inueniendus fuit, vbi sophistica hæc eloquētia liberius incederet. Sed tamen cū iam tertia pagina tota procederet, ad institutam disputationem reuerteris: collocationem ꝑtiris. Collocabūtur igitur verba, aut vt inter se quam aptißimè cohæreant extrema cum primis, eaq; sint quā suauißimis vocibus: aut vt forma ipsa cōcinnitasque verborum conficiat orbem suum: aut vt cōprehensio

bensio numerosè & aptè cadat: Hæc tripertita diuisio tibi placuit, cuius secunda in parte nihil est huius loci proprium, sicuti posteà suo loco planum faciam. Itaque cùm nihil, definisses, præstabat etiam nihil partiri, quã tam vitiosè partiri. In constructione uitari iubes hiatũ & asperitatem literarum: id laudo: Est autem prorsus admirabile dum de prima hac iunctura & coagmentatione præcipis, vnde & quorsum tam multas grãmaticorum quæstiunculas vnum in locũ conduxeris de cõtractione, de cõiunctione, de cõmutatione literarum, noĩm, accẽtuũ, spirituũ. Neq; enim tam molesta, tamq; prolixa descriptio vllam cõponendæ orationis viam docet, quod erat hoc tempore propositũ: sed cõparatione quadã demonstrat quemadmodũ tandem tu ipse cõcludis: si indocta cõsuetudo (vnde, tã multa exẽpla collegisti) tã sit artifex suauitatis, idipsũ multò magis ab arte & doctrina expetẽdũ esse: Itaq; ĩ quãtã pturbationẽ ĩcidisses coactus es, paulò pòst cõfiteri: propositæ enĩ partitionis ĩmemor antequã primùm membrũ absolueris de constructione, & suauitate vocum, nouam distributionem instituis: qua superiorem confundis: Duæ sunt res (ais) quæ permulcent aures, sonus, & numerus: quid inquam nonne tres in partitione superiore esse dixisti? constructionẽ, concĩnitatẽ, numerũ? Cõstructionem enĩ sæpe significas ad demulcendas aures totã ptinere. Impetratum est (ais) à cõsuetudine vt suauitatis caussa peccare liceret: Itẽ voluptati aurium morigerari debet

oratio: Ac tamen in secunda partitione nullã habes rationem cõstructionis, & tã longæ disputationis de hiulcis & asperis vocibus: quasi nihil ad demulcendas aures ista ptineant: Rursus verò longè grauiùs offendis, fœdiusq; laberis in secundo prioris diuisionis membro. Concinnitatem enim superiore partitione, & numerũ res diuersas effeceras: in posteriore nulla ratione facis easdem, an non intelligis quam inconstanter hæc præcipiantur? Constructio ad demulcendas aures plurimum valet, eadem ad demulcendas aures nihil valet. Concinnitas diuersa est à numero. Concinnitas non est diuersa à numero. De cõcinnitate deinde præcipis, quæ vt affirmas orbem quendã numerosum necessitate ipsa efficiat, et eum sine industria: Si numerosum dicas, ꝙ ex numero quouis cõstet, certè orbis ille exsimiliter desinẽtibus, cadentibusq; expibus & cõtrariis nõ numerosus esse nõ poterit: Si legitimũ et oratoriũ numerũ ĩtelligis, cogitare debebis in orbẽ illum & versus & insuauẽ numerum & rudẽ posse cõprehendi. Quare desine in præceptis ponere, quod tã fallere possit ignorãtẽ, quã adiuuare. Sed tamẽ duæ sunt res (ais) quæ pmulcẽt aures, sonus, & numerus. At soni rationẽ tã negligenter attigisti, vt potius rhetoris cuiusdã ptitione (in quã fortè ĩcideris) quã vtilitate & necessitate motus esse videare: hic sonorum genera in literis & vires, & pprietates psequi debuisti. sine hac enim soni virtute, oĩs cõpositio orõnis exãguis et ĩtermortua iacebit, vt postea clariùs erit.

erit. Ad *numerum accedis & quem in secũda partitione secundum membrum feceras, tertium nunc denuo facis: quẽq; speciẽ collocationis, cum genus esset, sine caussa fecisti.* N*umerosa oratio (ais postea) efficitur non solum numero, sed etiam constructione & concinnitate.* E*st igitur inquam constructio numerus, quoniam orationem numerosam facit: teipsum tuo testimonio coarguo & conuinco.*Memini *secundò de finibus in errore simili, quo pacto* Epicurum *reprehendas:*Diuisit*(ais) ineleganter: duo enim genera quæ erant, fecit tria, hoc est non diuidere, sed frangere rem: tum verò non solum ex duobus generibus constructione & coniunctiõne pedum (quæ erant duo) tria facis addita concinnitate: sed etiã numerum (qui erat genus) in specie numerasti: ita præclara ista diuidendi elegãtia* E*picurũ vicisti.* Sed *ad numerũ accedis: de quo priusquã præcipias, lõga oratione egrederis ad his respondendum, qui numeros in oratione reprehẽderent.*T*ametsi satis supérque de toto collocandæ orationis genere istis fictis reprehensoribus paulo ante erat responsum: egreßiones tibi nimium placent, teque sophisticæ ostentationis gloriolam nimio studio consectari demõstrant. Si toties oleas in curriculo transilires, quoties lineas in hac disputatione positas transilisti, omnis me herculè sibilus ad te explodendum consumeretur.*Mirificam *verò quandam doctrinæ expectationẽ initio concitas, sic enim ais:*Visne *igitur* Brute *totum hunc locum accuratius etiã ex-*

plicemus, quam illi ipsi qui & hæc, & alia nobis tradiderunt. Multos equidẽ græcos memini hisce de rebus varia docuisse: quos vtinã non vana potius subtilitate, qua mortales oẽs vincũt, quã solida veraq́; laude posśis vincere. At enim nõ solum tibi vsitatũ, sed ꝓpe perpetuũ eſt: in hac oratoris explicatione leues & ineptas nugas vndique colligere, in explicando numero dialectica ratio postulabat, vt numeris definiretur, deinde genera describerentur, propositis exemplis vsus ostenderetur generum singulorum. Cõtempta autem via illa docendi longe verisśima, placuit Ciceroni videlicet noua quadam docendi ratione numeri originem, caussam, naturam, vsum persequi: In origine Gorgiam, Isocratem, & reliquos inuentores numeri, in caussa modum inueniendi per animaduersionem fortuitorũ & naturalium exemplorum, in natura definitionem quãdam numeri, in vsu genera statuis. Quid si M. Tulli de tota dicendi arte, & de omnibus eius partibus quatuor ista quærantur sicuti possunt, ridiculum opinor fuerit, in explicãda arte inuentorẽ quasi partẽ artis numerare, cùm id si necesse sit, post rem definitam posśit vno verbo notari, ridiculum verò multo magis etiam illud, quod duo mẽbra facis, originem & caușã, quasi verò non sit origo, etiã caussa: & inuẽtores, & authores numeri nõ sint eius efficientes caussæ: & nõ verius vno caussæ nomine dicatur, & qui inuenit, & inueniendi ipsa facultas & occasio, præsertim cum in origine finem numeri, qui

ri, qui inter caussas principem locum tenet, constituas: cum enim de origine & Isocrate numeri inuentore loqueris. sic ais. Cum videret oratores cum seueritate audiri, poëtas autem cum voluptate: tum dicitur numeros sequutus, quibus etiam in oratione vteremur, cum iucunditatis caussa, tum vt varietas occurreret satietati. Quare in origine numeri declaranda caussam duplicẽ cõprehẽdis finẽ & efficientem. Quid autem duo prima mẽbra caussas esse dico? nónne tertiũ, vbi natura definitione rei quæritur, veram propriámq; numeri caussam exquirit? Quid enim aliud est legitima definitio, quam rei per proprias verásque caussas explicatio? Verũtamen per Deum immortalem quam nugatoria? quam tota sine vllo sale, sine vllo iudicio pars ista tertia de natura numeri nobis obiecta est? Incidisti in græculi cuiusdã & loquacis magistri argutias, plane sanè pueriles, vel deliras potius & aniles: quas tamen cum auidè magis quàm consideratè & attentè legisses, suo te opinor, acumine perpulerunt: intima artis mysteria quædam esse credidisti: tam sanctè támque religiosè ad eas accedis: Sũt porrò de numero hæ quæstiones quindecim, qui, vbi, vnde, quotuplex, quomodo, quorsum, quãdo, quo loco, quomodo faciat voluptatẽ, an sit, qualis sit, quis aut qui, cõmunis an dispar, cur non æquè apparet atque in vsu, vnde numerosum efficitur. O musæ ô charites, ô præsides ingeniorũ literarumque Deæ, quid istæ quæstiones, quam nobis numeri

naturam

naturā definiunt? Nouē primæ in extremū locum reiiciuntur: postremæ sex primo loco perobscura perque difficili oratione conturbantur? At perturbatio & cōfusio tantum est, alta quædam & peracuta natura in in hac confusione forsan occultatur: imò verò mera somnia, nulla naturæ explicatio, nulla definitio traditur. Quod ne tibi temere confirmare videar, singulas quæstiones excutiamus ac perpēdamus, an vlla omnino ad numeri naturam definiendam pertineat: decima quæstio prima disputatur, quod numerus sit in oratione, idque sensus testimonio probatur. At quorsum hæc, & quæstio, & quæstionis ratio? quid ad numeri definiendam naturam? duo prima partitionis membra origo & caussa inuentos esse numeros docuerunt, & obseruatione naturæ inuentos docuerunt. Quamobrem igitur quæritur, an sit, quod inuētum esse iam constiterit? An ludificari placet, & consequentibus antecedentia iam contexa retexere? Et quidem ne mea te potius reprehensio accuset, quam tua ipsius oratio conuincat: recognosce in hac quæstione, quæ antea de caussa numeri dixisti. Neq; (ais) ipse versus ratione est cognitus, sed natura atque sensu, quæ dimensa ratio docuit, quid acciderit: Ita notatio naturæ & animaduersio peperit artem: Quid? nónne eadē similitudine & ratione secundum membrum partitionis de numeri caussa tractasti? Vt igitur (dicebas) poëtica, & versus inuētus est terminatione aurium, obseruatione prudentium, sic

in

in oratiõe animaduersum est, multò quidẽ illud serius, sed eadẽ natura admonẽte esse quosdam certos cursus, conclusionésque verborum: quare quoniam eãdem rem nobis explicat ista quæstio, quam secunda pars diuisionis ostẽderat, cur in tertia parte collocatur? At pergis in huius quæstionis explicatione, & longius progredere ris. Omnino duo sunt (ais) quæ cõdiãt orationem verborum numerorumque iucunditas: quo tandem tertia eiusdem rei partitio? Antea enim tota cõpositionis ratio trifariam distributa fuerat in coagmẽtationem, cõcinnitatem, numerũ, deinde in sonum & numerum: nũc verò nullis nouis generibus propositis illa ipsa prorsus eadem materies in verborum numerorumq; iucunditatem distribuitur. An hoc, est dialecticorum acumine, vel partes, vel species diuidẽdo discernere? an imperitorum coquorũ more frangere ac discerpere? Reliqua porrò huius quæstionis tractatio, qua demõstras, numerũ tardius inuẽtũ, clarius quàm superiora & manifestius probat, quicquid hic est inculcatũ, id totũ ad primas illas partes de origine & caussa pertinere. Quare decima hæc quæstio tam longa nihil nos docet ad numeri naturam explicandam accommodatum: sed ex antecedentibus partibus quiddam substractum, quæ tamen, vt dixi, in oratoris arte legitime descripta, nullum necessarium locum obtinerent. Vndecima quæstio decimæ succedit, quales sint numeri oratorij: hic primum quæro, cur ea quæstio quæ sola erat huius loci

propria) quid esset numerus, prætermittitur. Soletis enim in quæstionum generibus (de quibus antea à nobis dictum est) tria numerare, an est, quid est, quale est. qua porrò de caussa à primo genere nō potius per secundum ad tertium ascensum paramus, quam fractis scalarum gradibus ruinam istam creamus? quid de qualitate dici potest, si quid res sit, ignoretur? Itaq; *iā mecum considera, quā absurdè, quámque nihil ad rem accommodatè respōdeas.* Nullus *est (ais) oratorius numerus extra poëticos.* Nobis *igitur percontantibus quales oratorij numeri sint, respondes esse poëticos: quasi tota numerorum doctrina, & explicatio nō propria sit rhetoricæ, & poëma ac versus si rhetorica legitime tradita sit, non eodem loco cum his numeris explicari debeat, vt vtriusque qualitas, vel ex æquo nota sit vel ignota.* Quāquam *falsa videri poßit, non obscura duntaxat illa responsio: in numero enim poëtico certa quædam & definita lex est, quam sequi sit necesse: in oratorio autē numero nihil est eiusmodi propositū, sed tantum ne immoderata, aut dissoluta, aut effluens sit oratio.* At *numeros (inquies) poëtarū & oratorum nō eosdē intelligi volo, sed nullū esse pedem in poëmate, quo nō sit oratoribus vti cōcessum:* Video *(inquā) numeri rationem ad pedes valde insolēter abiectā, quāobrem, nō video, si spectaret eosdē pedes orator & poëta, nō idcirco numeri oratorij qualitatē è pedibus poëticis agnoscerem: alia siquidem pedū singulorum, alia*

coniunctorum

coniunctorũ, qui numerũ faciunt, qualitas est & ratio: Verũ quatuor pedibus dissyllabis cõtentus est orator, vt cũ ad vsum peruenerimus, declarabo, omnes autem persequitur poëta. Quare ex pedibus poëticis oratorij numeri qualitatẽ nullã nobis explicas. Atque per ego te deos omnes oro, animaduerte quò qualitatẽ istã deducas. Nullus est (ais) numerus oratorius extra poëticos, quia omnis pes qui adhibetur ad numerum, partem habet aut æqualẽ alteri parti, aut altera tota, aut sesquimaiorem. Etenim vnde tam obscura tamq́ue dißipata partitio? Arithmetici numerorum differentias (vnde hæ sunt abreptæ) lõge alia subtilitate partiũtur: pares aiunt esse, aut impares, impares, maiores aut minores: tum maiorum cum minoribus collatorum quinque ab iis cõstituũtur differẽtiæ πολλαπλάσιος ἐπιμόριος ἐπιμερὴς πολλαπλασιεπιμόριος, πολλαπλασιεπιμερής. E quibus tua ista partitio tantum duas amplectitur πολλαπλάσιον καὶ ἐπιμόριον. An è reliquis rationibus nihil in pedes poeticos cadit? quid igitur amphibrachis ex breui, lõga, breui cõstãs, qualẽ partiũ collationẽ habebit? Frãgeũ quomodo volueris, nunquã parẽ, nunquã duplicẽ aut sesquiplicem inuenies. Tria enim tẽpora vni cõparata, triplicẽ rationẽ faciũt. Atq; hic è trissyllabis octo, vnus est notißimus. Quid dochimũ, quẽ tu ipse adhibes, & probas, è breui, duabus lõgis, breui, longa, rationis item dißimilis vis proferam? Quinque enim tempora tribus comparata rationem habẽt, πολλαπλασιεπιμερῆ.

Quare vides hanc partitionem valde rudem & imperitam esse, in qua res partita plura cõplectatur, quam subiectæ partes explicent: Nec tamen, id est, maximum in hac confusione vitiũ, sed aliud lõge magis est reprehẽdẽdũ. Quod imperiti quidã professionis huius doctores ac magistri qui te in errorẽ induxerũt, cum è remotioribus disciplinis aliquid tenuerunt, id in his primis informandæ iuuentutis studiis (vt se magnos & admirabiles apud ignorantem & simplicem discipulũ reddant) infarciunt: quo nihil potest esse ineptius aut stultius. At Aristoteles *grauissimus author & probatissimus ita sentit: eamq; pedũ partitionẽ tradit.* Tradat, *quid tum? an nobis probatius futurum existimas, quod falsa hominis opinio temere conceperit, quam quod res ipsa veritasque manifestè docuerit? Quãquam ne philosophi illius authoritate (sicuti facis) abutare, postea videro.* Ad *duodecimã quæstionẽ venio: quibus potissimũ numeris sit vtendũ, quã tertio loco prosequeris: sed ea ꝓtinus omissa ad proximã reuerteris, & rursus oratione lõga disputas in solutis etiã verbis inesse numeros, eosdẽq; esse oratorios qui sunt poëtici: tũ reuocas intermissã quæstionem.* Ita *in hac cõfusione non minor tibi tecũ, quam cũ rebus ipsis videtur esse contẽtio.* At *duodecima ista quæstio de numerorũ generibus tota ad vsum id est ad quartũ mẽbrum partitionis summæ, nihil ad naturam numeri attinet: illic enim modi & species numerorum describi debent, & generis ipsius natura imperite quæritur in formis, genus enim ipsum numeri*

definiendum

definiendũ generaliter & explicandũ prius est, quã species ꝓponatur: Sed tamẽ quãuis aliena hæc sint, cuiusmodi tamẽ, sint audiamus. Quidã è Græcis rhetoribus iambũ dũtaxat amplectũtur. Ephorus sequitur peana, & dactylum, spondæum, & trochæum fugit. Aristoteles dactylum grandiorem putat, quã soluta oratio desyderet: iambum nimis è vulgari esse sermone, trochæũ lasciuiorem, ita peana probat: A quibus omnibus cum meritò dissentias (omnes enim pedes in oratione permisti sunt ac confusi) mihi tamen mirum visum est, quod in paribus caussis tam disparia iudicia facias: amatores iambi iustè reprehendis, reliqui enim pedes etiam adhibentur. Ephorum iure coarguis, qui vituperat trochæum & spondæum, quibus etiam locus in oratione sit. Aristoteles verò cùm vnicũ Peana laudet, reliquos cõdemnet: qua ratione tibi author optimus visus est? At eadem quæ Aristoteles, etiam Theophrastus & Theodectes scripserunt: errauerint cum magistro discipuli, an idcirco melior Aristotelis caussa tibi videri debuit, quod nõ ipse solum falsus sit, sed discipulos quoq; suos fefellerit? Nimium illi homini in his artibus concedere & tribuere mihi videris, quas ipse præsertim contempserat vt in oratoriis dialogis affirmas. peana igitur quoniã Aristoteles probauit, probandum imprimis, & assumendum existimas. sic enim ais, Sit igitur oratio ꝑmixta & tẽperata numeris peane maximè, quoniã optimus author ita censet, at huic optimo authori, cui tu

mihi magis assentari, quam assentiri nunc videris, paulò pòst refragaris, & quam laudem assentando dederas, eandem vera dicendo detrahis: pæana Aristoteles vt optimum probat (ais) à quo dissentio, ac mox apertioribus etiam verbis, quare etiam pæana qui dixit aptiorem, in quo esset longa postrema, vidit parum. Hic *Aristotelem non solum repudias, sed ignorantiæ condemnas, quem tamen anteà mirificè in eadẽ quæstione laudasti.* Ita *te memorem & constantem præstas:* Atque *in hoc philosopho tamen si quid est callidè subtiliterque traditum, parum attendere, atque intelligere videris.* Intellexisti *multa in Aristotele, quæ tibi placuerũt, etiam quæ non intelligis, admiraris. Aristoteles elegantiam & dignitatem pæanis arithmetica ratione demonstrat, partitionem pedum facere credidisti: disputat pæana idcirco dactylo, & iambo temperatiorem & gratiorem esse, quia pæanis ratio ex dactyli, & iambi rationibus componitur: tu differentias pedum describere putasti: vnde & hic, & anteà partitionem illam claudicantem, parium, duplicium, sesquiplicium probasti:* Ac *ne me tibi falsa obiicere existimes, græcum illius sermonem iam coràm conferamus.*

λείπεται δὲ παιάν, ᾧ ἐχρῶντο μὲν ὡς ἀπορρήτῳ ἀπὸ Θρασυμάχου ἀρξάμενοι, οὐκ εἶχον δὲ λέγειν τίς ἦν, ἔστι δὲ τρίτος ὁ παιάν, καὶ ἐχόμενος τῶν εἰρημένων, τρία δὲ πρὸς δύ' ἐστιν, ἐκείνων δὲ ὁ μὲν ἓν πρὸς ἕν, ὁ δὲ δύω πρὸς ἕν, ἔχεται δὲ τῶν λόγων τούτων ὁ ἡμιόλιος, οὗτος δ' ἐστὶν ὁ παιάν, οἱ μὲν οὖν ἄλλοι διά γε τὰ εἰρημένα ἀφετέοι, καὶ διότι μέτρικοι, ὁ δὲ παιάν, ληπτέος, ἀπὸ μόνου τ' οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν, ὥστε μάλιστα λανθάνειν.

Quid ait? an eadem quæ tu? reliquus est itaque pæan, quo velut arcano Trasymachū secuti vtebantur, tamet si imprudentes ac ignorantes quis pes hic esset. Est autē tertius pean, & ex modo traditis compositus, in quo quippe tria cum duobus in illorum altero vnum cum vno, in altero cum duobus vnum comparatur, ex his duabus rationibus sesquialtera gignitur, quæ est in pæane: alii quidem omnes omittendi, tum propterea quæ dicta sunt, tum quia metris sunt accommodati, assumendus autem pæan, à quo ex enumeratis pedibus solo nullum carmen efficitur, vnde fit vt maximè lateat. Hic M. Tulli genera pedum non diuidit Aristoteles, sed probat pæanis rationem ex dactyli & iambi rationibus confici, vt cōcludat pæana dactylo & iambo præstantiorem: Quàm verò fallaci & captiosa conclusione hinc potest intelligi, quod iambus quem fugit Aristoteles, quemq; in clausula postremum ipse vituperas, non ratione quadam & specie, sed re vera ac veritate sit in pæane quarto ex duabus vltimis eius syllabis: Sed tamen hæc Aristoteles vt ita concludat: tu verò quid ais? Ita pæana probat, eoquè ait vti omnes, sed ipsos non sentire cum vtantur, esse autem medium ac tertium inter illos, sed ita factos eos pedes esse, vt in eis singulis modus insit, aut sexquiplex, aut duplex, aut par. Hæc tua sunt Aristoteli authori falso attributa: quare in posterum cauere debebis, ne tantum opinionibus Græcorum præsertim hominum (quos leuissimos

ſemper iudicaſti,cõcedas,vt iudicium adhibere deſinas ſed id multò magis ne ĩcognita ꝑ cognitis,et ĩcerta pro certis affirmes. Hoc Academiæ *eius non eſt, quã à pueris amaueris,quamq́; in omni vita vnice colueris.* Decima *quæſtio ad originem & cauſam numeri pertinet,nihil ad naturam:vndecima plena confuſionis & erroris nihil ei quod interrogat,conſentaneum interpretatur: duodecima non paucioribus tenebris inuoluta,ſi quid habet,non ad numeri naturam explicandam valet,ſed ad vſum:decima tertia quarto gradu ſubſequitur, quos numeros cum quibus tanquã purpuram miſcere conueniat:atq; etiam quibus orationis generibus ſint cuique accommodatiſſimi:quæ quæſtio ſi plene tractaretur,ad vſum eſſet referenda:ſpecies enim numerorum diſtinguendas ſuſcipit,quod illic propriè traditur:generalẽ numeri naturam,quod in tertio membro explicandum proponitur,non aperit:verùm vix attigit,quod pollicebatur,tres enim pedes iambum,dactylũ, & peana(credo vt tribus eorum authoribus paulò ante nominatis aliquid gratificaretur)duntaxat miſcendos & temperandos inter ſe proponit: quaſi cæteri pedes eiiciendi ſint et expellendi.* Decimæquartæ *quæſtioni,cur nõ æquè in oratione atq; in verſu numerus appareat ſtrictĩ, & velut præteriens, deinde reſpondes:neq; enim huc ſpectare videtur oratio tua,quæ leuem & è circũſtantiis quibuſdam collectam differentiam numeri oratorii & poëtici tradit, qua nihil numeri naturam cognoſcimus,*

scimus, numerus poëticus certam & definitam legẽ spaciorum continet, oratorius non continet, propterea magis apparet in versu numerus quam in oratione: Quid tũ: quæ sit numeri natura nunc quæritur, non cur facilius appareat in versu numerus, quã in oratione: nullam igitur adhuc naturam numeri, nullam definitionẽ tenemus: Quid sequitur? solet autẽ quæri (ais) toto ne in ambitu verborum numeri tenendi sint, an in primis partibus atq; in extremis: Enimuerò vnde *nobis ista quæstio? neq; enim de quindecim vlla fuerat, et vsus est, nõ naturæ, atq; illic etiam disputatur: cũ enim ad quartum principis diuisionis locum peruenisti, tum ais, satis multa de natura, sequitur vsus, de quo est etiam accuratius disputandum: in quo quæsitum est, in toto ne circuitu, an in principiis solũ, an in extremis, an ĩ vtraq; parte numerus tenẽdus sit. Quorsum igitur ista præceptio (quæ ad quartam partem propriè & verè pertinet) in tertia falsò confunditur? Ac ne tibi id satis est conturbare, inducis de exercitatione rationem in definienda re perridiculã: Similitudines ac dissimilitudines poëtarum & oratorum anteà in generibus elocutionis explicatas, huc in alienissimum locum reuocas: qua tamen ex oratione considera quid efficias: ita fit, ais, vt non item in oratione vt in versu numerus extet, idq; quòd numerosum in oratione, non semper numero fiat, sed nonnunquàm aut concinnitate aut constru-*

 Ctione

ctione verborum: Vnde cõsecutio hæc efficitur? quæ ratio? quod argumentum? quæ probatio antecesſit? quæstiones hæ decima quarta & decima quinta fuerant: & earum alteri paulò antè quodammodo responsum est: alteram propositam initio & conclusam tandem videmus, probatam & explicatam nullo loco videmus: Atque ita sex postremæ quæstiones non ad explicandã, sed ad conturbandam numeri naturam concluduntur: nouem quæ primæ fuerant, postremæ sequuntur egregio sanè confusionis ordine. Ita si numerus (ais) quæritur quid sit, omnis est: Ista responsio superioribus gratior esse debet, vt enim nihil de natura numeri doceat, vt quid sit, intelligam, ita non valde molesta est, quia perbreuis est: Si locus? in omni parte verborum: quæstio hæc antea iam cũ de toto ambitu quæreretur, exposita est, & ad vsum diximus pertinere: Si vnde ortus sit? ex aurium voluptate: quæstio hæc duobus primis membris origine & causa disputatur. Hic autem inutiliter iterata est, quartã quæstionẽ quotuplex esset numerus, omisisti: & minus idcirco quam in reliquis partibus offendisti: si componendorum ratio? dicetur alio loco, quia pertinet ad vsum, quæ pars quarta & extrema nobis in diuidendo fuit: ergo hanc partem intelligis, nõ naturæ, sed vsui subiectam esse: et tamen prudens ac sciens erras, & alieno loco statuis: gratiam videlicet magnam idcirco tibi debeo, quod non vllo meo labore, sed

tuâ ipsius confeßione culpam istam deprehendo: si ad quam rem adhibeatur? ad delectationem: hic finis numeri in origine positus à teipso, & tamen huc nullo fructu repetitur: Si quādo? semper: Hæc quæstio ad vsum pertinet, vt bis antea iamdixi, eaq; à teipso tanquā falsa refutatur: quod dissolutio orationis et hiatus indicet aliquando non ingratam negligentiam de re hominis, magis quam de verbis laborantis, vt non semper numerus adhibendus sit, sicuti nunc doces. Si quo loco? in tota continuatione verborum: par error superiori & eadem ratione à teipso nequid ad refellendū con quiram, damnatus: Si quæ res efficiat voluptatem? eadem quæ in versibus, quorū modū notat ars sed aures ipsæ tacito eum sensu sine arte definiunt: hæc quæstio nihil ad naturam numeri explicandam spectat, & in causa dicta prius est. Quamobrem M. Tulli *excita quæso teipsum, & græculi rhetoris (à quo in hunc librum hæc transtulisti) vanitatem & insulsitatem circūspice: quàm numeri naturam definierint, quæstio breuißima & vnica erat huius loci propria, per quàm numeri definitionē inuenire debuimus eiusmodi,* Numerus *est apta pedum collocatio: hanc omisit, quæstiones confusißimas quindecim induxit, per quas de numeri natura nihil inuenimus:* Simillimè *profectò ac si ingeniosus scilicet & exercitatus venator cuniculum aliquem in media via latitantem, & fossula tectum capere velit, canes*

permultos generum omnium ad eam venationem comparet, saltus omnes, lustra per dispositos ministros occupet, canat ipse tuba, & vsquequaq; cursitet: atq; imprimis magnum studium & ardorem præ se ferat: tandem multis clamoribus, laboriosa cõcursatione, canibus hominibusq; fatigatis inanis domum redeat: quid isti venatori facias si dominus eius sis? nõne meritò iubeas collocari hominem in aureo lecto, abacosq; complures ornari argento, auroq; celato, tum eximia forma pueros aßistere, qui ad nutum illius præsto videantur, adsint vnguenta & coronæ, incendantur odores, tandem cum epulari volet, patinæ vacuæ, & inanes aperiãtur, vt ferina (quam venatus est) famæ saturetur. At tuus rhetor venator ille nobis est, quærebatur numeri definitio, res illa bestiola multò ad inueniendum facilior, latebat enim in paucorum verborum euolutione, numerus est, apta est pedum collocatio: ad hunc cuniculum inuestigandum, quindecim quæstiones tanquàm canes expediuit, quinetiam credo ad insidiandum, ordinem ipsum variè conturbauit, de primo loco nouem primas quæstiones in postremum quasi saltum induxit, postremas sex in primum locum summisit: falsas interim rerũ species locis aliquot obduxit, nullumq; de præstantis illius & excellentis venatoris muneribus omisit, vt inanis nulla numeri inuenta natura domum rediret. O præclaram & singularem rhetoris indagationem. O magistrũ singularem & admirabili sapientia præditũ, dignum

di gnumque sane, qui vel Athenis in Prytaneo tanta inanitate & vanitate pascatur: Vsus orationis aptè ac numerose superest, in quo venationem quandam superiori similem imitaris, sed minus molestam. Proponis enim viginti, sed proponis duntaxat ab eodem opinor, magistro quæstiones, totúsne ambitus numerosus esse debeat, quid inter numerum & numerosum intersit, an partes orationis æqualiter diuidẽdæ, quãdo, cur, partibus pluribus an singulis, imparibus, an æqualibus, quãdo his vtendũ, quæ aptissimè collocẽtur, quo modo, an sine distinctione, vnde sit numerosa oratio, vnde periodus, quanta, quid mẽbra & incisa, quãta, vbi, quando, quo modo, quorsum. Ad has quæstiões singulas negas te responsurum, sed potius de genere vniuerso dicturum, quorum neutrum facis, nihil enim commune omnium & vniuersum tradis, & in quadam confusione singulis separatim respondisti: doces circunscriptionis numerosæ vsum in laudatione & exornatione cõcessũ, in seriis caussis non item, modos & clausulas laudabiles quinq; præscribis ex dichoreo, cretico, pæane quarto spondeo, si præcedat, aut iambus, aut choreus, aut dactylus, ex dochimo. Hoc primæ quæstiõis, nonæ, decimæ, vndecimæ, & duodecimæ aliquid est, non totum nullum enim verbum est de numeris primorum & mediorum locorum: tum ais numerosam orationem non solum numero, sed etiam collocatione & concinnitate fieri, quod dictum antea fuerat, & hic inani labore re-

petitum: Hæc secũdæ quæstionis est solutio: Tũ de periodi & partium eius longitudine, vsuque nõnihil aggregas, vbi est aliquid quæstionis tertiæ, et quartæ, & quintæ, & sextæ, & septimæ, & octauæ. Itemq; decimæsextæ, & decimæseptimæ, & decimæ octauæ, & decimæ nonæ: nihil enim via & ordine explicatũ, tum vicesimæ quæstioni, reliqua libri disputatio tribuitur. Ita quæstiones hæ venatoriæ viginti tractãtur. Verùm enim verò de tota confusione accuratius est in partibus singulis differẽdum. Remotis igitur reliquis generibus forense genus selegisti, cuius numeros persequare. Deus bone, quo vsque tãdem vnã esse grãmaticã ignorabimus, qua oĩs oratio mũda, propria sit & elegãs, sic vnã esse doctrinã omnis elocutionis, qua omnis oratio cuiuscũque generis modiq; ornata & collocata sit? Ambitus orationis in historia, in genere ad delectandũ cõparato plenior & absolutior est. Quid tũ? Ergo alia numerorũ quibus sophistæ, alia quibus oratores vtũtur, erit ratio atque doctrina? Qui sunt igitur numeri sophistarũ, qui non sunt etiam cõmunes oratorum? Id si nobis explicasses, refellendi laborem mihi suscipiendum putarẽ: At neque id facis, neque si velis facere, etiam possis: Atque cum tota ferè operis reliqui oratio de periodo sit, & membris & incisis, quid est ambitus? quid membrum? quid incisum? viginti quæstiones proposuisti, quarum nulla definitiones istas aperuit, quomodo vis intelligamus tam longam, tam implicatam, tã difluentem

fluentem & dissolutam disputationem, si non sit, id de quo agitur ante definitum? Forma illa circũscriptionis reticenda non diu est (ais) transferenda dictio est ad membra & incisa: At ea quid sint nullo loco dicis, quin exemplis (de quibus paulo post) efficis, vt aut te nunquam didicisse, aut certè nunc oblitum esse existimem. Accedis ad numeros & eorum (vt dixi) in clausulis genera quinque cõstituis: dichoreum, creticum, pæanem quartum, spõdæum præ cædente, vel iambo, vel choreo, vel dactylo, item dochimum, nihil præterea de numerorũ generibus præcipis: Quæro igitur cuiusmodi sit in tradenda numerorum (quibus aptè concluditur oratio) doctrina obseruatio? quæ animaduersio? non enim loqueris de vno pede extremo, adiungis etiam quod minimum sit, proximũ superiorem sæpe etiam tertium: In dichoreo duos choreos ex longa breui, longa breui perspicio, & hæc non contemnenda videri fortasse obseruatio possit, quæ duos pedes extremos animaduertat. At in cretico non dicis, qui pedes laudabiliter, qui vitiose præcedant. Si pes igitur vnus satis non est extremus, quid me doces in cretico? in pæane quarto ex tribus breuibus, & longa pirrichum & iambũ agnosco, atq; hæc excusari, si nõ omnino probari animaduersio poterit. Sequitur spõdæus iãbo præcedẽte spõdæus tribrachi præcedente: hic cõiungendorũ pedũ studium agnosco, Est idẽ spondæus (ais) in extremo laudabilis præcedẽte dactylo: Quo in præcepto mi Cicero miseret

me

me profecto tui, quẽ in his nugis non iudicio tantũ, sed memoria quoq; tã turpiter lapsum perspicio. Quoties iam quoties numerus oratorius à poëtico distinctus & segregatus est, ne poëmatis similis esset oratio? At clausulam carminis ex dactilo & spondeo, clausulam facis orationis, at cuius carminis? carminis heroïci omnium carminum, vt maximi & præstantißimi ita clarißimi & notißimi. Quomodo enim versus illi tui tibi gratißimi clauduntur,

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ,
O fortunatam natã me consule Romam:

quomodo cæteri omnes heroïci, nónne dactylo & spõdeo? Quare collige teipsum & desine mirari, quãobrẽ ista tua somnia mihi non probentur, & cur in erroribus tam manifestis à iudicio tuo discrepẽ. Aliquid saltem tam inconsiderato præcepto addidisses, vt dactylus & spõdeus orationem non ineptè clauderent, si dactylus & spondeus non singuli suis dictionibus cõprehenderentur, cuiusmodi clausula aliquoties vsus etiam hic es, vnde sunt illa, sed habeo mediocritatis rationẽ, item, hoc assequi non potuerunt, hæc inquam, si sic dixisses, aliquid audiremus, quod posset excusari. Verũ ita nobis illudis, vt si tibi in tãtis peccatis assentiamur, nos meritò stupidos poßis existimare. Atque hoc in loco mirificum hominem te præstas in asserenda poëtarũ licentia: Cùm porrò poëtæ magna se numerorum neceßitate vinctos inetlligerent, id sibi saltem permiserunt

ſerunt, vt vltima verſus ſyllaba ſi breuis eſſet, pro longa tamen haberetur, vel contrà: denique indifferens eſſet, prout carminis ratio poſtularet: ita inter choreũ & ſpondæum, creticum & dactylum extremos (vt ais) nihil intererit. quaſi verò non plurimum interſit, vltima illa longa ſit, & duo iũgat tempora, an natura breuis & vnicum tempus habeat, an per ſe indifferens & amborum generum intermedia. De *ſpondæo ante ſpondæum nihil hic ais, quem numerum tamen poſtea cùm de* Craſſo *loqueris, ais tibi maximè probari: tres illos ſpondæi comites, iambum, tribrachym, dactylum, negas extremos in oratione rectè locari: de choræo ex tribus breuibus nihil tecum pugnabo: de dactylo te licentia illa poëtica, etiam vt tibi placet oratoria, ſatis refellis, quoniam idem dactylus & creticus in orationis extremo eſſe videatur: de iambo verò quid vis vel ſimplicitatem, & indiligentiam tuam coarguam? præceptiſne tuis an exemplis? vtraq; enim contra te faciunt, & quodam modo contrà clamant.* Etenim *vt de præceptis ſolum dicam, quid? nõne & creticũ & pæanem & dochimum aptos & numeroſos in fine orationis pedes exiſtimas? at eorum ſingulorum duæ poſtremæ ſyllabæ iambum cõficiunt: aut igitur pedes illos omnes dãnes neceſſe eſt, aut iambum vnà cum omnibus approbes: neque verò te tuis præceptis ſolum tam nugatoriis præſertim arguere, ſed exemplis etiam à tanto errore reuocare cupio: quæ (ne te falli exiſtimes) ex hac ipſa*

 diſputatione

disputatione sumam: vnde enim sunt illi iãbi geminati in his clausulis (proceritate tardius) orationis attinct) maximè probo) siculorum simillimum) audiri libẽtius) quibus in singulis exemplis iambi gemini, in secundo etiam ter gemini sunt: Neq; *verò clausulas illas insuaues auribus accidere sentio, quanuis non semper optimus ille tuus author* Aristoteles, *nimis humilem & abiectum faciat, & tu idcirco frequentissimum in demisso & humili sermone statuẽdum doceas.* Etnim *cùm temporum in clausula tanquam colorum in purpura temperatio moderatióque laudetur, atque idcirco dichoreus omnium numerorum primus & iucũdissimus tibi videatur: quia pares cum paribus, longas cum breuibus syllabas permixtas habeat (longã breuẽ, longã breuẽ) quãto præstantior iãbus est iudicãdus, cùm eãdem mixturam breui præcedente, sequente longa obtineat?* Verba *enim melius in longiores syllabas cadere tute ipse anteà nobis author fuisti: nec similitudo in iambis potius quàm in cæteris pedibus geminatis, vel choreis, vel spondæis suauitati credatur officere: tam enim potest caueri, ne sæpius geminus iãbus, quàm geminus choreus aut spondæus iteretur, & vt geminis iambis dici potest iambici carminis quiddam strepere, sic geminis trochæis trochaïci carminis, & spondæis spondaïci.* Quamobrem *vt hanc iambicam comprehensionem concludam, aut præcepta tam commẽtitia esse, aut exempla non ferenda fateare, non autem exempla*

quæ

quæ voluptatis huius artifex & magister vsus, quæ optima item ratio tueatur: præcepta igitur. Dochimus reliquus est, in quo vt numerum ipsum laudo, sic obseruationis genus perridiculũ esse censeo, quo si teipsum falsum & deceptum esse cognoueris, facilius te moneri credo patiere: quicunque enim magister siue Gorgias, siue Isocrates, siue tuus ille, tametsi non semper tuus, Aristoteles, numeros oratorios partim trisyllabis, partim quadrisyllabis, partim etiam pentasyllabis pedibus iussit nos obseruare, in magnam sane confusionẽ sua nos impertia deduxit. Propterea quòd in sex à fine postremas syllabas (qui ferè modus est huius animaduersionis vniuersæ) varij pedes diuersorũ genrũ includi possint, vt sit extrema pars orationis (Reipublicæ) dochimus est, item iambus & creticus, item iambus & dactylus, quia vltima sit indifferens, vt tibi placet, itẽ bacchius & iambus, item spondæus & iambus: atq; hoc modo in omnes obseruationes similis confusio potest accidere: quam perturbationem doctrinæ videris etiã nonnihil, sed velut præteriens aspexisse, cùm ais pæana quòd plures syllabas habeat, numerum à quibusdam non pedem haberi: quanto verò facilius erat & verius, omne hoc quantumcunque decretum est, per quatuor simplices pedes obseruari: quicquid enim potest in sex syllabis per trisyllabos, aut alios pedes in tota illa confusione præcipi, id clarissimè potest & facillimè sine vlla confusione per dissyllabos obseruari, sic paucis

verbis perſpicuè continentur, quæ tam perturbatè tra didiſti, rectè claudit choreus & choreus: longa ſyllaba & iambus: pyrrichius iambus: iambus & ſpondæus: longa, pyrrichius & ſpondæus: breuis, ſpondæus, & iambus: ſpondæus & ſpõdæus: Hæc *omnis obſeruatio doctrinaq́; tua eſt, niſi quòd à cõfuſione remota eſt, & facile atque perſpicuè tradita, vt pes alius pro alio ſumi non poßit:* Qua *obſeruationis perſpicuitate ſicut illuſtrium clauſularum, ita laudandorum initiorum tota ratio poterat breuiter explicari: ſed res alioqui facillima & ſuo lumine contenta rhetoribus argutulis non placebat: obſcuranda & turbanda fuit, quaſi difficultate & confuſione commodior, aut pulchrior eſſet futura.* Sed *ad cætera pergamus.* Doces *deinde non ſolis pedibus, ſed etiam constructione & concinnitate numeroſam orationem fieri, quod antea toties inculcatum, & nunc iteratum ſine cauſſa admonere te moleſtißimæ & ineptißimæ repetitionis aliquando potuit: tum reliqua oratione ad vltimam quæſtionem de ambitu, de membris & inciſis multa loqueris: circunſcriptionis longitudinem moderatam quatuor, minimã duobus membris cõcludis, exemplum nullum moderatæ ponis, interimq́ue exemplis etiã nobis illudis.* Miſſos *faciant patronos, ipſi prodeant, duo inciſa facis, quamobrem? nonne vtraque ſententia tametſi altera ad alteram pertinet, perfecta tamen eſt? nonne membrum id veriusdi ceretu quàm inciſum? vt periodus*

ſenten-

sententia sit absoluta ex nulla alia pendens, nec ad aliam spectans: membrum sententia ipsa perfecta quidẽ, sed aliò tamẽ relata. Incisum denique membri particula sit imperfecta & incompleta sententia: quod incisorum tamen exemplũ cùm pro valde numeroso à Crasso sumpsisses, & senarium nescio quo modo percepisses, bella, ita me Deus amet, auersione culpã illam vitasti. Nisi interuallo dixisset (ais) ipsi prodeãt, sensisset profecto effugisse senarium, quasi vero sit vllus versus, qui non intercipiat, & mẽbra, & incisa & omnes omnino interspirationes, ac propterea versus esse desinat. O virum simplicem, qui nos nihil cæles, sapientem, qui summis viris, si quid leuiter offenderint, ignoscendum putes: sed certè omnino rudẽ, qui cautione eiusmodi non intelligas occasionem similis offensionis simplicibus & imperitis exhiberi. Alia rursus incisa quatuor orationis cuiusdam tuæ, & quidem pro valde numerosis statuis: domus tibi deerat? at habebas, pecunia superabat? at egebas: Primùm cur hæc incisa nominas, quæ sententiam licet aliò relatam perfectam tamen habeant? Deinde considera primum illud incisum (domus tibi deerat) quàm numerosum sit: desinit enim in quinq; breues: aut si deerat dissyllabũ sit, turpius in finem carminis heroici desinit. Postrema de numeri vtilitate est quæstio, quam tu sanè præclarè & magnificè descriptis vitiis, exemplorumque tum rectorum tum vitiosorum commutatione & conuersione: in quibus

tamen exemplis te non animaduertisse valde miratus sum, numerosum istud (quod quæritur) non tam syllabarum, quæ numerantur in pedibus, dimensione: quàm literarũ natura atque dignitate fieri: Laudas eã clausulam (Marcellos Maximosq́ue, *multi eunuchi è Syria* Aegyptoq́ue *vicerunt*:) *neque reprehendo: constat enim ex iambo & spondæo*: Hanc *vituperas, vicerunt eunuchi è* Syria Aegyptoq́ue, *quæ constat ex dispondæo: quem anteà numerum ex* Crasso *maximè laudasti*. Laudas *rursus (ab aliquo video perfacile* Deliaco *aut* Syro *potuisse superari) neq; hoc accuso, numerus enĩ est ex pyrrhichio præcedente breui & spondæo*: Illud (*potuisse superari ab aliquo* Syro *aut* Deliaco) *reprehendis: quæ clausula tamen dichoreus est: quem tu antea pulcherrimum iudicasti*. Quid ergo, iámne vides, *iámne sentis quanto in errore animus tuus vagetur, quàm nihil constans, quàm nihil firmũ doceas, sed aut præcepta refellas exẽplis, aut exẽpla præceptis coarguas? non est ista orationis suauitas (mihi crede) in ista pedum subductione tota cõstituta, sed multo magis* (vt dixi) *in verborum præstantia & dignitate, de qua speciatim nullũ verbum fecisti*: Oratio *fortius* verbo *clauditur, quàm nomine*: vnde *illa tibi placuerunt (mercatoresq́ue superarunt*, Aegyptoq́ue *vicerunt, potuisse superari) hæc displicuerunt (vænalitiíque*, Aepyptoq;, *Syro aut* Deliaco) *neque tamen* vis *est ista omnium verborum, sed verborũ non mutilos & decurtatos sonos,*

sed

sed plenos & moderatos ædentium. Neque tamẽ *verbis idcirco claudenda semper erit oratio : decor enim plærunq; repugnabit .* Peruenis *ad extremum, & derisis,* Romanis *atticis velut infantibus statuis eloquentem, qui non approbationes solum , sed admirationes, clamores, plausus mouere debeat, omnibus dicendi laudibus oportere sic excellere, vt ei turpe sit quicquã aut spectari aut audiri libentius: vbi (sicut anteà sæpe fecisti) quod multarum artium commune est, vni rhetoricæ attribuis.* Atque *ita in elocutione (in qua sola eloquentiæ principatum constitueras) quàm te eloquentẽ præstiteris, iam potes æstimare:* Quid *est enim elocutio* M. Tulli*? quæ sunt elocutionis partes? nihil respõdes? quid tropus ? quot eius species? nihil ais, sed metaphoram breuiter attingis, reliquos tropos falsò affirmas, ex collocatione verborum sumi: quid figura ? quæ genera? quæ generum species?* Hic *obmutescis, & genera alia in aliis confundis, vera quædam prætermittis: falsa multo plura supponis: quid numerus? quinam sunt eius modi? nihil definis : collocationem alieno nomine appellas.* Pro *duodus generibus tria facis, nihil in constructione de sono & virtute literarum (quod præcipuum erat) explicas , concinnitatem temerè interponis:* In *numero, vt quinque modos clausularum cõturbares, de reliquis taceres, tertiam operis vniuersi partem consumpsisti: in eáque omnes artis huius magistros omni ineptiarum genere superasti .* Perorasti *tandem aliquando,*

aliquando, & academiæ decora quadam verecundia totum opus conclusisti, tibi tuum iudicium sumis, mihi meum relinquis, hoc amo & laudo, & philosopho præsertim Cicerone *dignißimum iudico, qui academicis præceptoribus tam multis, tamq; eruditis vsus fueris: sed tamen mollicies quædã penè muliebris aliquot antè locis posita, & extremo loco repetita minimè mihi placuit, quod propter magnitudinem rei & amorem in me tuum singularem, veluti cuiusdam culpæ veniam deprecaris:* Enimuerò *ne tibi nimium durus, nimiumq; brutus esse, aut paradoxa dicere videar, quid agis* M. T*ulli, cùm ad* Marcum Brutũ *de* Oratore *scribis? an præclaris in* Remp. *atque adeò in omne genus hominum studiis sempiternam gloriam mereri, an falsis imposturis vanam speciem adumbratæ laudis aucupari vis? si supplicas & precaris, vt* Ciceroni *res inanes & nugatorias præcipienti* Brutus *ignoscat, rogas vt vnà tecum adolescentes hominès, qui tuum* Oratorẽ *legendum imitandumque sibi proposuerint, eadẽ fraude decipiam: quare si te (quemadmodum mihi equidem persuadeo) nihil humile, nihil falsum, nihil caducum & mortale delectat, sed viuentium posterorumque summus amor dies & noctes pro commodis* Reip. *vigilãtem consolatur: excita te potius ad excellẽtis in* Rep. *principis (qualem non solum libris, sed vita & factis informasti) cogitationem & laudem: quæ sint eius partes considera, quam personam sustinere, vt priuatũ imprimis*

primis & suum nihil intueri, oculos in Remp. perpetuò coniectos habere, huc opes, facultates, consilia, mẽtem, seipsum denique totum referre debeat: contendereque modis omnibus vt detractis malis, Resp. bonis omnibus firma, honesta, beata sit: quod Reip. obsit, nihil perferre: quod prosit, nihil omittere. At meipsum, quod accusatur attingit: quid tum? nonne si tamẽ paruis tã magna conferre liceat, Brutus vltor huius præclari imperij vel potius author liberos suos morte mulctauit, vt Reip. salutem daret? Nonne Decij corpora sua tanquam victimas Diis obtulerunt, vt sanguine suo ciuium suorum libertatem repræsentarent? Quorsum igitur tam grauis & tam altè repetita oratio? nẽpe vt idem tibi in tradenda doctrina, quod in regenda Rep. faciendum censeas: Est enim doctrina res ipsa publica & quidẽ tanto maior his rebus publicis quas appellamus, quanto longioribus & latioribus finibus extenditur: nostræ enim Resp. certorum sunt temporum, locorum, hominum: artes autem ac doctrinæ diuturnitate temporum non consenescunt, altitudine montium aut latitudine fluminum nulla terminantur: omnibus omnium gentium linguis animisq; celebrantur. Quãobrem si te gloriosum in hac literarum Rep. principem & doctorem esse vis: Bruto nihil irasci conuenit, si quid in libris tuis tanquam sanè liberis obesse Reip. indignetur: sed amplecti, sed gratias habere, sed cohortari & Brutũ & omnes huius doctrinæ studio-

ſos, vt vnà tecum oratoris informationem ſuſcipiant, nec in ea ſolum ingenij tui virtutes impreſſas ament, ſed etiam vitia reprehendant, accuſent, inſectentur, è medio tollant: de tua iſta diligẽtia & cohortatione, ſi oratoris præſtantia percepta fuerit, veriſsimas & ampliſsimas laudes conſequere. Quare ſi hoc animo affectus es, vt Ciceronis *obliuiſcare, veritatem huius doctrinæ & perfectionem tantum meditare, ſubiice tibi ante oculos tam vaſtum tamque denſum chaos, in quod deſcriptionem oratoris immerſiſti: & quàm te atticum, quamque philoſophum præſtiteris, cõſydera.* Etenim *cùm tibi definiendus eſſet orator qui peritus eſſet bene dicendi, tum duæ virtutes eius elocutio & actio explicandæ: hic* M. Tulli *quid agimus? ſubducamus, & quidem ab initio quoniam quidem placet, quoniam quidem commodum eſt, capita rerum ſingula.* Compa*rati exordio ad inueſtigandum oratorem (vbi nullus futurus eſſet) tribus continuis egreſsionibus & excitamur & dialecticis quibuſdam perobſcurè inſtituimur, & hoc ipſum variè & inconſtanter defendimus: tum repetito noua digreſsione procemio in viam reuerſi oratorem in tribus dicendi generibus ita reperimus, vt neſcio quo repentinæ obliuionis ſydere percuſsi velut amiſſum, in* Italia, *in* Græcia *(vnde in Atticos digredimur, ac ne tantis erroribus fatigati dormiamus, argumento procemij noua digreſsione reuocato reficimur), in ſophiſtarum ſcholis, in inuẽtione diſpoſitione*

(vbi

(vbi interim noua digreßione eodē proœmij argumento recreamur) in memoria, actione, elocutione philosophorū, poëtarū, historicorū requiramus: tandem in illis trium generū galericulis oratorem prius inuentū, sed fortè elapsum rursus inuenimus: & quidem tanta lætitia, vt decorū totum profundamus: Hic idem *proœmium obtruditur, genera ipsa licet antea definita, iterum tamen verbosißimè ex elocutionis ornamentis nondum expositis explicamus: philosophia, legibus, historiis, rhetoricis artibus, locis communibus, amplificationibus, affectibus oratorem, quãuis elocutione & actione per se contentum, tamē vel inuitum oneramus: interimq; fabulosis, prob pudor, nostris laudib9 omnia complemus: tum elocutionem in tropis & figuris sine definitione, sine partitione, sine exēplo, sine luce planè extinguimus: in compositionis initio digredimur: in cōstructione omnes grammaticorum argutiolas cumulamus: concinnitatē, cui locus hic non erat, admiscemus: tum in numero postremum egredimur: quem ipsum fatuis planè & inertibus sophismatis obruimus.* Hæc Ciceroniani *oratoris informatio est.* O *sapientiæ leges,* O *philosophiæ sanctiōes,* O *diuinæ* Platonis *ideæ: siccine disciplinas informare, sic breuiter, sic propriè, sic intelligenter explicare instituitis?* Mo*netis in artium tractatione, quoniã sua sponte attentus sit auditor, sermone potius quàm oratione vtendū esse.* At *nos quasi in* Milonis *caussa quæ semel dicta*

nunquam poſtea repeti, nunquam audiri poſſet, iudices oſcitaremus, aut plane dormiremus, quoties & quàm multis exordiis propellimur? Non enim illud eſt ſolũ, vtrũ difficilius aut maius eſſet negare tibi ſæpius idem roganti, an efficere id quod rogares, diu multúmque Brute *dubitaui. ſed idem argumentum quoties & quàm inepte iteratur?* Inueſtigemus igitur Brute, *ſi poſſumus, quẽ nũquã vidit* Antonius. Magnũ *opus & arduum* Brute, *ſed nihil difficile amanti puto.* Rem *difficilem* Dij *immortales atq; omniũ difficillimam.* Magnus *eſt hic locus* Brute, *quod te non fugit.* Magnum *opus & arduum, vt ſæpe iam diximus.* Tenemus *igitur* Brute *quem quærimus.* Præcipitis *in doctrinis (quoniã via & ratione ꝓgredi maximè debeãt) explicãdis, vt res ſuccinctè definiatur, & aptè deinde diuidatur, tum inſignibus exemplis ornetur & illuſtretur: hic ad falſam definitionẽ conturbandã pars operis media cõſumpta eſt, partes fractæ & diſsipatæ, & vix ac ne vix quidẽ ſuis nominibus appellatæ.* Iubetis *tv vna de re vno tãtũ loco & vna duntaxat ſit inſtitutio: At dialectica quoties & quidẽ ſine cauſſa offuſa ſunt.* Nec *verò ſine philoſophorum diſciplina genus & ſpeciem cuiuſq; rei cernere.* Nouerit *argumẽtorum & rationum locos.* Magni *igitur iudicii, &c.* Eſſe *igitur perfectè eloquentis puto dialecticorum ſcientiam aſſumere, &c.* Cùm *tam pauca ſint cauſſarum genera etiã argumentorum, &c.* Quid Aſianæ *eiuſmodi redũdantiæ*

tiæ reliqua exempla tam multa proferam? De tuis illis ingeniosis cautionibus, de proœmiis, de generibus caussarum, de oratoris definitione & discrimine oratoris & sophistæ. Cauetis ne quid falsi, pro vero asseueretur. At oratoris (quod erat primum ac summum) definitio falsa est: Ciceronis de suis laudibus prædicatio & gloriatio falsa est: compositionis pedumque (vt insignes tantum falsitates attingã) partitio falsa est, & Aristoteli authori falsò attributa. Docetis denique sophistarum esse proprium, à philosophis alienum omnes dicendi flores psequi, res alienas intexere, à quæstione sæpe discedere, sententias magis concinnas quã probabiles exquirere, easq; ita disponere, vt pictores varietatem colorum. At Ciceroniana oratoris informatio quàm varia, quàm picta, quàm versicolor, quàm alienis tota penè sit non intexta, sed cõtexta, nihil hic repetẽdum arbitror: verum quonammodo in oratoris explicatione Ciceronem tam immoderatè exultantem tamq; extra cancellos inconstanter exilientem perferemus? Vix disputationem erat ingressus, en triplici cõtinua digreßione prosiliit: in orbem reiectus, bis repente resiliit: nec regressus diutius contineri potest, è vestigio relabitur: deinceps variè nutans ac titubans in collocationis & numeri vestibulis præceps agitur: Atq; hac egregia & numerosa saltatione carmẽ oratorium peragitur. Quamobrem Marce Cicero si hæc orationis vitia ab iis qui atticè dicere cupiunt, obiici

l iij tibi

tibi solita, & à nobis hoc tempore in hoc vno tuo opere sic illustrata, patefacta, comprehensa, eo animo (quo debes) audieris, vnum modò abs te optabo, vt tantæ vtilitatis, tantæque dignitatis (quantam doctrina bene & rectè tradita continet) gratia nihil non modò tibi ac mihi atque amicis vllis, sed ne præceptoribus aut parentibus quidem ipsis indulgẽdum aut ignoscendum putes, sit enim multis partibus Reip. *charitas amplior: ardentior sit æterna & perpetuæ profuturæ veritatis amor.*

FINIS

Errata sic corrigito.

Fol.7.Pag.2.Linea 24.miraris si. Fo.8.pa.2.li.1.doctrinarum,quæ. Item 16. hæ recensentur. Fo.9. pa.2.li.23.differetur,pro diceretur. Fo. 10. pa.2.li.21.sitne,& quid sit,pro sitne,& quid sit.& 22.sit,pro sit. Fo.12. pa.1.li.11.dialecticæ,pro dialectica.& 22.hic,pro sic. Fo.13.pa.1.li.9.q̃ in doctrina:&,14.set,pro &: &,18.Audis hunc:&,21.quoque.& pa.2.l.1.dicamus,ꝑ docuimus. Fo.14.pa.1.li.7.dialectica:&,9.illæ,ꝑnũciant:&,20. oratoribus,pro orationibus. Item pa.2.li.15.Indicant,pro Iudicant. Fo. 15.pa.1.li.12.ca,pro facta. Fo.16.pa.1. li.1.tamẽ esset: ibidem, At,pro aut: & pa.2.li.5.at,pro &:item li.21.oratori,pro orationi. Fo.18.pa.2.li.9autem,pro aut:& 12. sed,pro sit. Fo.20.pa.1.li.13. proferenda, ꝑ perferenda:item sermonis puritas. Fo.21.pa.2.li.18. fine,pro siue. Fo.23.pa.1.li. 12.deo,pro ideo. Fo.27.pa.1.li.11.tu,pro tum. Fo.28.pa.1.li.25. versu,pro vsu. Fo. 31.pa.2.li.25.τοὶ,pro τοῦ. Fo.34.pa.2.li. 13.fame,pro famæ. Fo.38.pa.1.li.11.Imperitia,pro Impertia. Fo.42.pa.2.li.20.vt, pro tu.

CAROLO LOTHARINGO RHE-*morum* Archiepiſcopo Mecœnati ſuo Petrus Ramus S.

A*D quartum idus Octobris, quanuis nihil nobis otioſius eſſe poteſt, Ariſtotelis tamen* πόδιπαρν ἕτερον *inire cœpimus: utrum? inquies,* δειλινὸν *inquam, quod eſſet aptior homini deſidioſo, & dum (ut ait ille) -clarum mane feneſtras*

Intrat, dormitanti. ἑωθινὸν *ad Audomari Talæi fratris mei matutinas uigilias dimiſi. Quod utrunque ſpatium (quanuis ipſe minimè facio) populo tamen noſtro conficiendum ſuaſi, & ſanè (niſi quid improbè refractariolus fuerit) perſuaſi. Mitto ad te oratiunculam, non ut eam legas (quid enim habent hæ nugæ lectione tua dignum?) ſed ut ſi quis inertem aut neſcio quid eſſe me apud te criminetur, quanuis ego ſim, ne tamen fateare: quin tanquam magnæ defenſionis inſtar, ad eum ſcilicet impediendum, tricas iſtas obiice. Nunquam (mihi crede) tantum illi erit animi, ut res tam inſulſas perlegat, atque ita ſi moleſtus eſſe deſinet, mirificè liber ero. Vale præſulum humaniſſime.*

PETRI RAMI ORATIO
DE STVDIIS PHILOSOPHIAE
ET ELOQVENTIAE CONIVNGENDIS, LV-
tetiæ habita Anno 1546.

ETsi non ignoro AVD. me noui nihil hoc tẽpore vobis audientibus esse dicturũ, propterea quòd diuisas cõmunis mihi cum Audomaro Talæo fratre meo professionis partes eius oratione cognouistis, vt ille matutinis horis philosophiã, nos pomeridianis eloquẽtiam profiteremur: tamen in hac nouæ auditionis noua forma, proponẽda mihi videtur esse ratio maioris & clarioris argumẽti, quoniã quæ iustissima mihi caussa visa est ad cohortãdum, eadẽ vobis amplissima videri debet ad agendũ. Nam me cùm mediocris literarum cognitio, tum meæ vitæ perpetua consuetudo ad hanc caussã suscipiendam adhortata est. At verò vt id studiosissimè facerem, publicorũ studiorum amor, doctoris officium, ipsæ deniq; literæ vnà mihi vobiscum ad humanitatem propositæ coẽgerũt. Nõ enim id nunc agimus vt odiosa barbaries, inanes argutiæ, vanæ & inutiles nugæ in scholas inducantur: sed vt optima iuuentutis erudiẽdæ doctrina, in omnibus gymnasiis suscipiatur. Quæ cùm ita sint, à vobis AVD. hanc veniã peto, vt me de vestris studiis dicentem benignè atq; attentè, sicuti facitis, audiatis. Repetam verò paulò altius instituti nostri originẽ, quò facilius omnes id quod volumus & probamus, intelligant. Fuit igitur AVD. apud veteres ea docendæ iuuentutis

ratio,

ratio, vt philosophiæ studiis eloquẽtiæ studia coniungerẽtur, earumque disciplinarum præcepta disiunctè, vsus coniunctè traderetur. Siquidem vetus illa (ait Crassus*) doctrina eadem fuit & rectè faciendi & bene dicendi magistra: neque disiuncti doctores, sed idem erant viuendi præceptores atq; dicendi, vt ille apud* Homerum Phœnix, *qui se à* Peleo *patre* Achilli *iuueni comitem esse datum dicit ad bellum, vt illum efficeret oratorem verborum, actoremq; rerum.* Atque *hinc secuti sophistæ,* Gorgias, Thrasymachus, Protagoras *magna vniuersæ* Græciæ *fama se & sapientiæ & eloquentiæ magistros esse profitebantur.* Quorum *gloria motus* Aristoteles *intelligendi prudentiã cum dicendi copia coniunxit: & cùm anteà matutinis ambulationibus philosophiã solam doceret, pomeridianis etiam rhetoricam docere cœpit, in eoque adolescẽtes non ad reliquorum philosophorum morem, tenuiter & aridè disserendi, sed ad rhetorum copiam in vtrãque partem, vt ornatius & vberius dici posset, exercuit.* Philosophos *deinde graues oratores sunt imitati, qui tametsi se totos ad eloquentiæ laudem compararent, philosophiã tamẽ à rhetoricis exercitationibus nunquam separabant.* Hinc *gloriatus est* Cicero *se oratorem non ex rhetorum officinis, sed ex* Academiæ *spatiis extitisse: idemque* Periclem, *quòd* Anaxagoræ, & Demosthenem, *quòd* Platonis *auditores fuissent, tantum reliquis ait oratoribus præstitisse.* Neque *verò philosophi & oratores solum veterem illam disciplinam coluerunt, sed nostri quoque reges eam nobis colen-*

m dam

dam tradiderunt. Quæ enim Athenis Academia primùm fuerat, ea Romam deinde, postremò Roma Lutetiam commigrauit, sed gymnasiorum (quæ multis postea temporibus ædificari cœpta sunt) moribus, nescio quo modo, elanguit, ac iam prorsus interiit. Nostra verò ætate Francisci Valesij (quem honoris caussa libenter vt debeo, nomino) regis cùm virtutũ omnium, tum sapientiæ imprimis amãtissimi, liberalitate recreari & excitari cœpit. Omnis enĩ sapientiæ omniumq; ingenuarum literarum doctores, honestißimis stipendiis ornatos in Academia Parisiẽsi cõstituit, eósq; nobis eiusdẽ diei distinctis horis auscultãdos & audiẽdos proposuit. Hæc est AVD. (de qua dicere proposui) philosophiæ & rhetoricæ coniunctio à primis penè hominibus instituta, à sophistis & philosophis accepta, retẽta ab oratoribus, à nostris regibus in hac vrbe fundata: quam si verißimis rationibus suscipiendã esse intelligemus, mores (vt spero) nostros melioribus institutis modesto & æquo (vt par est) animo vinci patiemur. Quapropter vt tota res facilius æstimetur, primũ mihi videtur de vtilitate huius institutionis, deinde de voluptate, tum de dignitate esse dicendum. Vtilitas autem eiusmodi est, quæ maximè nostros animos incendere atque inflammare debeat, in qua & discentiũ & docẽtium maxima & certissima bona agũtur. Nam (vt de commodis audientium primùm dicam) si philosophici studij tempora tribus annis ac sex mensibus (tot enim legibus nostris definita sunt) ita diuidantur, vt aliis horis philosophia, aliis eloquentia doceatur,

atur, fructus studiorum multis partibus augeri, & labores eorum maximè minui celerrimè sentiemus. Etenim vt à grãmaticis puer informatus, cùm ad rhetoras accesserit, præteritas grammaticæ vigilias non despicit, verùm sermonis elegantiã maiorẽ, tum propositos auctores imitando, tum plurimum & assiduè scribẽdo & dicendo sibi comparat: sic idem troporum & figurarum ornamentis à rhetoribus ornatus cùm ad dialecticos transibit, rhetorica ille ornamenta non contemnet, sed dialecticorum cõiuncta prudentia, legendis poëtis, cognoscenda historia, oratoribus audiendis, bonarum artium scriptoribus peruolutandis, & exercitationis gratia laudandis, interpretandis, corrigendis, vituperandis, refellendis, in cõtrarias partes disputandis, omnibus omnium scriptionum, meditationum, declamationum modis amplificabit. Nũc verò puer iste quid agit? multos annos in grammaticis & rhetoricis retinetur, dum aliquid in eo maturum & perfectum videatur, id laudo: tum abiecta omni purè & propriè loquẽdi cura, damnata stili & orationis pristina diligẽtia, multis minis, plærumq; etiã virgis, lectione poëtarum & oratorũ interdicta, in altercationes & clamores scholæ coniicitur, vt tãdem grammaticæ & rhetoricæ studiis longa obliuione deletis, pro puro & nitido sermone barbarismos & solœcismos facere, pro suaui & ornata oratione, spinosum aliquod & ieiunum sophisma latrare consuescat. At coniunctis (vt dixi) toto triennij tempore studiis, si epistolã anteà facere, elegiam cõdere, rem

propositam ornatè pronunciare didicerit, non modò hæc eadem decurrẽdis philosophici curriculi stadiis retinebit, sed ampliora multo ac vberiora præstabit. Hæc *vtilitas magna quidem per se nobis videri debet* AVD.*quòd consequentibus studiis, antecedentium nulli fructus amittantur, sed omnes augeãtur: est tamen eo maior existimãda, quòd insignem quandam doctrinarum lucem coniunctam secum habeat: nam cùm isto modo artium fructum exquiremus, si quid erit ab earum doctoribus ineptè & imprudenter conturbatum, omnis eiusmodi error facilè deprehendetur, ac tolletur.* V*sus enim cõiunctus demonstrabit quid vtile, quid solidum, quid verũ sit in præceptis: cõtrà, si quid erit inutile, vanũ, falsum, idem vsus manifestè declarabit.* Ita *fiet vt, quemadmodum in hortorũ arboribus, sic in artium institutionibus alias conseruemus, quia fructum ferant, alias amputemus, quia fructum non ferant.* Q*uid? quòd eadem ratione tẽpora studiorum, laborésque mirificè minuũtur?* C*ertos gradus in disciplinis explicandis, ita distinctos temporibus habemus, vt primo tempore grammatica, secundo rhetorica, tertio philosophia perdiscatur.* S*it igitur puer decimo aut duodecimo ætatis anno à grammaticis sic eruditus, vt latinè loqui, vt versiculos fingere, vt sermonem familiarem in epistola exarare non ineptè poßit, is Academiæ nostræ moribus, in rhetoricis annos duos, sæpe etiam plures exercetur, hoc secundum tempus est: tum demũ decimo & quinto circiter anno, tertio quippe tẽpore, ad philosophos superioribus studiis*

diis omnibus omissus, (ut cognita prius videlicet obliviscatur ac dediscat) deduci solet. Verũ partitis, vt dixi, philosophiæ perdiscẽdæ temporibus, vt pars altera mansuetioribus literis impendatur, intermedio illo tẽpore, quo rhetoribus discipulus iste traditur, eodem philosophis opportunè & commodè committetur. Ità cùm vno & eodem tẽpore & intelligendi & ornandi præceptis instituetur, nullum præteritũ tempus amittet, sed imtermedio postremũ anteuertet, & iuuenis admodũ eò perueniet, quò vix senex, ac ne vix quidẽ vnquã fortasse peruenisset. Quod equidem AV D. *vehementer animaduertẽdum esse nobis arbitror: laborarunt enim superioribus annis* Academiæ *nostræ moderatores ac principes, vt de constituto illo ac dimenso trium annorum sexque mẽsium curriculo annus vnus detraheretur, propter molestã laborum lõginquitatem, qua iuuentus debilitari, & à philosophia frequẽter auocari dicebatur: decretæ sunt publicis & consiliis & pecuniis legationes, quæ id à* Christianissimo *rege impetrarent. Quam voluntatẽ si publicæ non priuatæ rei caussa inducta est, equidẽ laudare debeo.* Sed, *per* Deũ *immortalem, quid ab optimo & longè post creatos reges humanissimo rege postulamus, quod non eius erga nos pietate prius assecuti simus, quàm optare potuerimus?* Nouerat *enim antiquum illum (de quo initio dixi) iuuentutis informandæ morem, quem cum summa non solùm gloria sua, sed etiam fœlicitate nostra reuocauit, prudẽtissimo simul exemplo quemadmodum iuuentutem in gymnasiis erudi-*

remus, quáque ratione graues, de quibus conquerimur, laborum molestias euitaremus, admonuit: & ad subleuãdum diuturnitatis tædium, non vnum de tribus annum, quod nostris legationibus petebatur, sed totũ trienniũ, si verè de diuinis eius erga nos meritis æstimare volumus, condonauit. Principis *igitur nostri tam singulare consiliũ de literis cum sapiẽtia copulãdis intueamur, admiremur, imitemur, & cõpendia temporũ tam vehementer optata, tanto præsertim duce cõmonstrata ingrediamur.* O *popularem vereq; regiam sapientiam, ô regem non solùm* Frã*corum regno, sed omnium gẽtium imperio dignißimum.*

Dii tibi- (*Regiis enim gratiis te regem lubet affari*)
-si qua pios respectant numina, si quid
Vsquam iustitiæ est, & mens sibi conscia recti,
Præmia digna ferant: quæ te tam læta tulerunt
Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluuii current, dum montibus vmbræ
Lustrabunt, conuexa polus dum sydera pascet,
Semper honos, noménque tuum, laudésque manebunt.

At fortasse dicet aliquis, ista quidem orationis & cognitionis coniunctione, præclarè & studiis, & artibus, & tẽporibus cõsulitur, at nobis nihil consulitur. Si quis igitur eiusmodi (qualem esse neminem existimo) tam abiectus ac sordidus erit, qui nullam vtilitatẽ æstimet, nisi quæ marsupio & crumena cõcludatur, excitet ipse se, & quæ dicã attentus audiat. Quid igitur? in quo vtilitatis & emolumenti spem reponemus? an cùm maximus in auditoriis nostris audientium numerus fuerit? At bone Deus, quid tam idoneum,

idoneum, tam opportunum, ad ſcholas omnes complendũ fingi vel excogitari potuit? tanta, mihi credite, regia illa conſuetudine in ſcholas admiſſa, cognoſcẽdi & audiendi cupiditas exorietur, vt non modò gymnaſia, ſed ne Academia quidem tam multis tamq; crebris ædificiis multitudinem capere poſſe videatur. Nullus erit vir ingenuus ac nobilis, nullus ſenator, nullus mercator, nullus agricola, nullus cuiuſquã fortunæ qui non cupiat liberos ſuos iſto modo inſtitui, nemò tam parcus, tã tenax, tam auarus pater erit, qui non percupidè cuiuſuis mercedis pretio tam pretioſum doctrinæ patrimonium liberis ſuis relinquat. Quamobrem, videte num talẽ inſtitutionem amplecti, ac omni ſtudio fouere debeamus, ex qua maximus iuuentuti fructus, maxima diſciplinis illuſtratio, maximum temporibus ſolatium, maxima præceptoribus emolumenta comparantur. At quoniam de vtilitate dixi, nunc de voluptate pauca dicam: poteſt enim ſic exiſtimari, hanc inſtitutionem eſſe tam vtilem, vt optanda ſit: ſic eſſe difficilẽ, vt pertimeſcenda ſit. Vtinam AV D. perinde verbis explicare poßim quod ſentiam: neminem profectò tam durum, támque agreſtem eſſe arbitror, quem voluptatis futuræ cogitatio & cõmemoratio non ſumma voluptate afficiat. Quid enim eſt, in quo exultare animus, lætitia efferri, triumphare deniq; ſoleamus? Nẽpe cũ iis rebus quas amauimus, quas optauimus, perfruimur. Diſcipuli noſtri è lõginquis plærunq; terris ad nos deducũtur, quo porrò deſiderio incenſi? quo amore inflammati? doctrinæ. Quanto

igitur in omni doctrina maiores progreßiones fecerint, tanto pleniores voluptates percipient. Atq; *vt anteà molestißimis spinis debilitati, inanibus clamoribus fracti, perpetua rerum obscuritate deterriti, amorem philosophiæ deponebant: ita nunc suauißimis rebus illecti, liberalibus exercitationibus confirmati, clarißima luce inuitati, cùm omnibus modis se & doctiores & disertiores quotidie fieri sentiãt, incredibili volũtate omnes vigilias tolerabunt, non sibi negotium exhiberi, sed otium condonari, non laborem imperari, sed delectationem comparari iudicabunt.* Neq; *verò magistri in tanta discipulorum lætitia lugebunt, sed vt boni agricolæ cùm segetes quas ipsi seuerint, lætas ac luxuriantes aspiciunt, magno gaudio affecti superis gratias agunt: sic liberalis animi præceptores immortaliter vberrimo ingeniorum, sua diligentia velut excultorum & satorum, prouentu gaudebunt.* Et *qui prius duobus aut tribus discipulis, velut in nido pullis excludendis, frigescebãt, ij cùm se frequentis & celebris auditorij doctores, & quidem cùm fortuna (quam discẽtium liberalitas adferet) tum sapientia (quam syncerior vsus efficiet) pulchros & beatos intelligent, quibus modis gestiẽt? anteà de dialecticæ duris admodum & iniucundis præceptiunculis sese obtundebant, nunc eius amœnißimũ in omnibus dictis & factis maximis & minimi vsum intelligent.* Legebãt *anteà pictos hominũ mores in philosophorũ libris, quid esset fortitudo, quid temeritas, quid liberalitas, quid effusio: nunc in poëtis, in oratoribus,*

bus, in historicis, eosdem mores, sed veris & viuis exemplis impressos perspicient. Anteà quid essent venti, quid pluuiæ, quid tempestates, quæ caussæ rerum & ortus & interitus efficerent, inquirebant: nunc eorum generum efficientiam in Virgilio, in Homero, in reliquis bonis authoribus suauitate magna recognoscẽt. Quinetiã cũ philosophia de vita & moribus, Horatij licebit, & Ciceronis morales libros coniungant: cum physicis Lucretium, & multis in locis Ouidium & Virgilium: nec in vlla philosophiæ parte oblectandi otij materies vnquam diligentibus & attentis doctoribus deesse poterit. Immortales, ita me Deus amet, esse cupient, vt ista conditione perpetuò doceant. Tertius & vltimus locus restat de dignitate: satis enim multa verba mihi fecisse videor, quam ob rẽ esset hæc institutio variis commodis necessaria, & multis oblectationibus periucunda: nunc quis honor, quæ gloria posit hinc expectari, dicendum est. Magnum opus & arduum AV D. & multorum inuidiæ, calumniisque obiectum, sed ingredientibus aliud statuendum fuit, quod sequeremur: nunc quidẽ iam quocunq; feremur, danda nimirum vela sunt. At quoniam res eiusmodi est, quæ non facilè verbis explicari posit, veterem aliquẽ huius Academiæ doctorem centum abhinc annos vita functum cogitatione, si placet (quoniam mentes nostræ liberæ sunt, & ea quæ volunt, intuentur) excitemus. Quid ille? si tẽporum suorum memoriam cum his temporibus comparabit, non quæ futura esse prædico, sed quæ iam in Gallia,

Germania, Italia, Britannia, coniunctis cum rerum sciẽtia literis effloruerunt, nónne stupefactus & attonitus hærebit? Neminem nisi barbarè & ineptè loquentem audierat: audiet omnis ætatis innumerabiles latinè & ornatè scribentes & dicentes: de Græcis literis vulgatum illud frequenter audierat, Græcum est, non legitur: audiet non qui Græcè legãt expeditißimè, quoties opus erit, sed qui totam eam linguam summa cum laude explicent. Quid reliquarum artium præteritas tenebras cum præsenti luce ac splendore cõferam? Audierat in grammaticis, poëtis, oratoribus, Alexandros de villa Dei, Facetos, Græcismos: in philosophia, Scotos & Hispanos: in medicina, Arabas: in theologia, nescio vnde ortos: audiet Terentiũ, Cæsarem, Virgilium, Ciceronem, Aristotelẽ, Platonem, Galenum, Hippocratẽ, Mosen & Prophetas, Apostolos, ac reliquos Euangelij veros germanosque nuntios, & quidem omnibus linguis loquẽtes. Quæ non aliter admirabitur, quàm si de mediis terræ visceribus nuper exortus, solem, lunam, ac reliqua sydera sublatis in cælum oculis, derepẽte suspiceret. Sentio AV D. ficta cogitatione vos esse commotos, qua veteris disciplinæ reuiuiscentis adumbratos duntaxat honores attigimus: quid si veri cernerentur? quantos amores, quantas admirationes excitarent sui? nam quicquid est adhuc effectum, id tantum est, vt illi magnifici & illustres literarum principes ex monumentis suis agnoscerentur, vt eorum virtutes legerentur, & amarentur. At neminem adhuc illorum similẽ videmus:

demus: quam ob rem? an Deus ille parẽs ingeniorum & *artifex, excellentibus ingeniis procreandis defatigatus est? ego verò id existimare magnæ impietatis scelus esse duco. Quid ergo? institutio & educatio legitima nobis deest, sit idem ingeniorum cultus, qui quondam fuerat, non similes antiquis flores nos visuros speremus, sed pares fructus consecuturos cõfidamus.* Existent *alij in grammaticis* Aristarchi *&* Varrones, *alij in poëtis* Homeri *ac* Marones, *alij in oratoribus* Crassi *&* Cicerones, *alij in philosophis* Theophrasti *&* Platones, *alij in medicis (qui iam propemodum sunt)* Aesculapij *&* Apollines, *in theologis* Basilij, Chrysostomi, Cypriani, Hieronymi, *alij deniq; in omnibus humanitatis ac doctrinæ partibus excellentes viri ac præstantes, quorum opera ac virtute iuuentutem informari,* Rempub. *gubernari, hominum salutem retineri, veram religionem demonstrari, non solùm est omnibus votis optandum, sed omnium gẽtium linguis prædicabile & gloriandum.* O *florentem* Academiam Parisiensem, *si tam insignia dignitatis ornamenta consequatur.* Consequetur *autẽ, si cum philosophiæ studiis eloquentiam coniunxerit.* V*na enim hæc coniunctio summos omnes & oratores, & philosophos, & medicos, & theologos dedit: contraria verò disiunctio omnes literarum pestes peperit, & aluit.* Quamobrem AVD. *cùm talis institutio bonorum omnium generibus, eximia commoditate, singulari voluptate, admirabili dignitate prædita sit: cúmque sit ab heroïcis iam olim temporibus constituta,*

à so-

à sophistis, philosophis, oratoribus celebrata, à nostris regibus in hanc Academiam maximis dotibus & olim euocata, & nunc demum reuocata: ne tam immanes tamque impiè erga nosmetipsos ingrati simus, vt tam cœleste, tamque diuinum bonum nobis diutius inuideamus: sed potius à Deo Opt. Max. communibus animis precemur, vt reges, vt regum familiares, vt omnium Rerumpublicarum, ac nostræ imprimis, principes ad hanc generis humani fœlicitatem tuendum & amplificandum, quotidie magis ac magis velit incitare.

FINIS.